



21

~~G 11 23~~


EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-56

SIGNAT. 1515CCCXIII.





Disputatio Theologica ⁶

De

MYSTERIO UNIO-
NIS HYPOSTATICÆ

DUARUM NATURARUM IN CHRISTO
JESU, SALVATORE NOSTRO,

Quam

Auspice Spiritu Sancto,

Sub Præsidio & moderatione

VIRI

Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi

DN. BARTHOLEMÆI BATTI,

SS. Theol. Doctoris, & Professoris P. Præceptoris

& Mecœnatis mei æternum
colendi,

Ad placidam collationem, sacrarum literarum in illustri Academiâ

Gryphiswaldensi studiosis propono & exhibeo

BALTHASAR RHAVV,

Gryphiswald. Pomer.

Ventilabitur publicè die 17. Januarij in

Auditorio majori.

GYPHISWALDIÆ,

Imprimebat JOHANNES ALBINUS,

ANNO MDCCXXIII.

Dissertatio Theologica

MYSTERIO UNIO-

NI- HYPOTATICE

IMMUNITATIS IN CHRISTO
DE SEU SALVATIONE NOSTRA

Auspicis Episcopi

Sub auspicio & moderamine

VIRI

DM BARTHOLOMÆI BATTII

SS. Theol. Doctoris & Professoris Theologiae

& Inceptoris sui seminarium

in Universitate Lipsiensi

Compositi & Typis

BALTHASAR RHAU

Typographi Lipsiae

Compositi & Typis

Compositi & Typis

GAUTHIERUS ALDRE

Imprimatur Johannes Albertus

anno MDCCXXII





קטו ע

DISSERTATIONIS

UNIONE DUARUM
NATURARUM HYPOSTA-
TICA IN CHRISTO.

Προόμιον ἔ Οἰκονομίας



Alutiferæ de JESU CHRISTO

unico μεσίτη atq; ἱκετη nostro, doctri-
næ, quàm infensissimus Diabolus sit ho-
stis, vel ex eo cuivis ὀφθαλμοφανερῶς
apparere potest, quod in Ecclesiâ N. T.
omnia fermè hujus doctrinæ capita fer-
ventissimo oppugnaverit animo. Post-
quam enim divinam Christi Naturam

per Cerinthum, Ebionem, Samosatenum, Arrium, Photinum
evertere conatus fuerat, nihil prius, nihilq; posterius, vaferri-
mus hic habuit spiritus, quàm, ut per Valentinianos, Marcio-
nitas, Manichæos aliosq; fanaticos, Humanitatem Christi de-
bellaret; Tandem nec Naturarum Unionem in scripturæ mu-
nimento tutam esse voluit, sed modò per Nestorium Personæ
λύσιν & solutionem; modò per Eutychem (cujus infausta pro-
genies Monophysitæ & Monotheletæ) Naturarum σύγχυσιν
& confusionem orthodoxæ de Unione personali sententiæ
opposuit. Neq; in hunc usq; diem has linqvit Satan machi-
nas, quippe bellum jam olim Unioni personali oppositum per
suos de novo Conductitios Satellites, Calvinianos & Jesuitas,
promoveret & continuat. Huic igitur ut maturè nostras oppo-
namus copias, quibusvis χειρολογίας studiosis strenua navan-
da



da erit opera. Imprimis junioribus videtur hinc omnibus ingenij viribus contendendum, ut in hac *Χειρομάχη* pugnandi rationem ab illis, qui usu & scientiâ hanc in parte præcellunt, addiscant. Et quoniam *ἀσκησις φύσις & διδάχη* supplementum non leve superaddit, operæ haud erit dispendium, si juniores inter se, quibusdam *persônâ* in Adversariorum sustentibus, concertationem quandam instituant. Quapropter vitio nemo mihi vertere poterit si utilissimam *Christo Jesu doctrinam* ventilationi & discussioni commilitonum vires in sacro hoc certamine experiar. Ut autem *line, quâ* nihil (teste Scalig. Exerc. 34.) præstantius, nihil prius *naturâ,* progrediamur, controversias de personâ Salvatoris *Notitâ,* quoad illæ cum Calvinianis agitantur, per thesin & Antithesin certis quibusdam capitibus proponere placuit, ne in conflictu confusione ceu mutuis ictibus nos invicem percuteremus. Ad tria itaq; capita revocabimus eâ quæ in prædictâ materiâ nobis cum Calvinianis (qui hodiè Reformati audiunt) sunt disceptanda, differentes 1. de Duarum Naturarum in Christo. Unione 2. de illis quæ ex Unione sequuntur in genere, 3. de Communicatione Idiomatum in specie, seu de certis generibus illorum, quæ per communicationem dicuntur de Christo:

Sancte meis studijs desursum Spiritus adsis.

Et mentem verbo dirige, queso, tuo.

CAPUT I.

De

UNIONE DUARUM NATURARUM IN CHRISTO.

THESES I.

Quæ Calvinianis dum nostram opposuimus *ἀγώνισμα* sub initium removenda erunt *μη λυτῶντα*, & illa de quibus est inter utramq; partem consensus, ut de *λυτῶντοις* absq; ignorantia Elenchi possimus differere commodius.

2. Con-

2. *Consentiunt itaq; Calviniani, hisce in capitibus, nobis & orthodoxæ doctrinae, I. Duas distinctas esse in Christo Naturas, Unam divinam, Patri & Spiritui sancto consubstantialem: Alteram humanam cæteris hominibus in essentialibus conformem. II. In Unione personali non esse Naturas confundendas, nec Personam dissolvendam, sed Unam in Christo esse personam & duas reveretâ distinctas naturas. III. Unionem hanc non esse accidentalem, neq; essentialē* *δι᾽ ἁρτέον μονόθεον & personalem.*

2. *Queritur itaq; in hoc capite saltem de tribus, ad quæ in respondendo à Calvinianis dissentimus? I. An non solum persona sed etiam Natura divina ἔ λόγος rectè dicatur incarnata? II. An λόγος per Unionem totus sit in carne, totus extra carnem? III. An Unio Naturarum sit facta cum communicatione & ὁμιχρωσήσ Naturarum? IV. Quænam sit personalis differentia, quâ hæc Unio ab alijs Unionis modis distinguitur?*

4. *De primâ questione quid sentiamus, hæc explicabit thesis; Divina Natura ἡ ἐξ ἑωσ & relatè sumpta, quatenus certo caractere personæ est quasi limitata & determinata, non incommodè dicitur incarnata.*

5. *Argumenta petimus 1. ex dictis in præsentibus Materiam capitalibus, Job. 1, 14. Verbum caro factum est, & 1. Tim. 3. 16. Deus est manifestatus in carne. Ex quibus dictis talis fluit ἁποδείξις: Quicquid scriptura affirmat de λόγος & de Deo, illud non de nudâ personâ sed etiam de naturâ affirmat. At incarnationem scriptura affirmat de λόγος & Deo. E. Major stabilitur omnibus dictis scripturæ, quibus eo modo, quo in allegatis, mentio fit*

Controversiarum propositio.

Questionis primæ.
1. Thesis.

2. Confirmatio.

λόγος & DEI, ubi divinam personam cum Naturâ simul notari apparet, & petimus à Calvinianis, ut monstrent nobis in scripturâ, ubi de personâ filij DEI aliquid prædicetur simplici & tamen non de naturâ.

6. 2. Ex dicto Pauli, Colof. 2, 9. In ipso inhabitat tota plenitudo divinitatis corporaliter. Hinc argumentamur: In quo habitat tota Deitatis plenitudo, in illo non nuda persona divina, sed etiam natura inhabitat. At qui in homine Christo inhabitat tota Deitatis plenitudo. E. Propositio confirmatur ex eo, quod plenitudo Deitatis notet illud, cui nihil desit ad complementum incarnatione Deitatis. Jam vero persona nulla est divina, excepta Naturâ divina, unde de solâ persona tota Deitatis plenitudo accipi non potest.

7. 3. Ex Analogia fidei, quæ ut ipsi non diffitentur Adversarij, discrimen rationis solummodò inter personam & Naturam DEI admittit, & personam divinam non agnoscit, quæ non sit divinâ cum naturâ conjunctissima. Hinc ita colligimus. Quæcumq; persona est verè divina persona, illa non est absq; divinitate. At persona quæ est incarnata est verè divina persona. E.

8. 4. Ex τὸ ἐκ κοινῆς Naturæ divinæ & humanæ quam infrâ probabimus. Ubi autem Natura divina immet humanitatem & ei se communicat, ibi unita sit oportet. At in personâ Christi divina Natura immet humanam & ei se communicat. E.

3. Anti-
thesis.

9. Recentiores Calviniani, quod ego quidem sciam, directè hic nobis non adversantur; Sunt autem quidam ex antiquis, qui incommodè de primâ propositâ questione loquuntur: Dicunt enim, filium DEI non commodè dici incarnatum respectu divinæ Naturæ, sed respectu ἰσότητος. Sohn. Tom. I. Oper. p. 192. Danæus in Exam. lib. de

Chemnit. ad pag. 57. l. 6. p. m. 81. Beza in Resp. ad Acta Colloq. Momp. p. 183.

10. Quod si hi ita sentirent, ut terminum Unionis ^{4. Elen-} non Naturam sed personam esse, assererent, nullam eis move- ^{chus.} remus litem, sed saltem illud Augustini reponeremus: Retineant mentem & corrigant linguam. Verum non obscure apparet, Naturam divinam illos excludere ab incarnatione, ut facilius Naturarum Communicationem impugnent. Argumenta, quæ afferunt, directe non tangunt statum; Vel enim concludunt, Unionis personalis terminum esse personam; vel divinam Naturam ἀπλῶς consideratam; quatenus est communis omnibus Trinitatis personis non esse Incarnatam. Si quæ alia opponuntur, illa solvuntur ex observatione D. Davidis Rungi p. 111. quæ extat. Disp. 2. de Calvinis. th. 7. πρώτως, ἡ καὶ ἀμέσως ἐν ἑαυτῇ ἔστι λόγος: Ἐπιμέσως καὶ ἐμμέσως διὰ τὴν ἐνσωμάτωσιν ἐστὶν ἐν τῇ σαρκὶ. ^{divi-} nā Naturā Filij DEI ἐνωτικῶς ἐστὶν facta.

11. Alterum ζήτημα quod attinet, Thesin nostram, ^{Quæstio-} ^{nis se-} ^{cundæ.} ^{1. Thesis.} banc constituimus: Unio Naturarum in personā Christi facta est ἀδιαίρετως ἀχωρίστως ἀδιασπάρτως, ita, ut λόγος intra arctissimum & intimum suum completum assumpserit carnem, & nusquam extra carnem assumptam nunquam subsistat, sed ubicunq; sit ὁ λόγος, sit ἐνωτικῶς non ἀσπάρτικῶς.

12. Argumentum primum quo thesin allatam cor- ^{2. Confir-} ^{matio.} roboramus eruitur ex superius citato loco, Colos. 2, 9. Ex quo syllogismus profluit talis. Quicquid in alio quodam habitat σωματικῶς ceu in proprio suo templo, illud non collocandum extra id, quod inhabitat. At Deus in corpore & carne suā habitat σωματικῶς tanquam in proprio suo templo. E. Propositio certa est; cum aliàs nulla esset differen- ^{tia}

tia inter inhabitationem λόγος in carne suā, & inter habitationem λόγος in sanctis.

13. Non contenta hac simplicitate gens Calvinistica, novas procudit subtilitates, quibus argumentum hoc eludat. Concedunt itaq; conclusionem de personā, non vero de Essentiā, quā, propter suam infinitatem totam posse esse extra carnem, garriunt. Respondemus autem breviter.

1. Essentiam λόγος esse extra carnem & non personam, inauditum est, cum essentia filij DEI non sit absq; personā.
2. Si Essentia extra suam carnem, propter suam immensitatem, cur non persona, quæ non minus immensa ac infinita atq; Essentia?

14. Secundum in ordine argumentum suppeditat Unio nis personalis Natura: Quæcunq; enim ita sunt unita ut unum constituent ὑφιστάμενον, illorum unum non est extra alterum. At qui divina & humana Natura ita sunt unita, ut constituent unum ὑφιστάμενον. E. Propositio patet ex eo, quod ὑφιστάμενον non possit constitui vel unum manere ὑφιστάμενον, si unitum etiam sit extra ὑφιστάμενον ad quod constituendum concurrat, tunc enim extra illud etiam subsistit, & sic non unum, sed duo fiunt supposita. Unum, quatenus unita concurrunt, Secundum, quatenus unum unitorum separatim extra alterum unitorum subsistit.

15. Varijs hoc oppugnatur argumentum Exceptionibus: Nam dicunt I. Majorem esse concedendam de ijs Unitis quæ sunt æqualia, quorum unum non excedit alterum, non autem de ijs Unitis, quorum unum finitum, alterum est infinitum, Beza in Resp. ad Brentij argum. de Omnipræs. Carn. Christi. Resp. 1. Quod dicitur non probatur. 2. Non de quibusvis unitis queritur, sed de ijs quæ ad constituendum unum ὑφιστάμενον

concurrunt. 3. Infinitas & immensitas λόγος non obstitit,
ut totus λόγος uniretur ca-ⁿⁱ, concedente parte adversa,
quomodo itaq; propter immensitatem erit extra carnem,
cum tamen propter infinitatem non sit extra Unionem?
prout autem Unita ant, ita in Unione coexistunt.

16. II. *impugnant* propositionem aliquot similibus.

1. In morte Christi Animam & corpus unita fuisse
personaliter, nec tamen corpus coexistuisse Animæ
in paradiso. 2. Solem uniri cum orbe, caput cum
pedibus, nec tamen unum esse unitorum ubi sit alte-
rum Beza. d. l. Resp. 1. *Exempla* toto genere sunt diver-
sa. Nam Anima & corpus, quatenus in personâ & λόγος
fuerunt unita, non fuerunt ab invicem separata; sed sepa-
ratio hæc oriebatur ex solutione Unionis naturalis: qua
solutio non infert solutionem Unionis personalis; Fue-
runt itaq; Anima & corpus in morte sibi presentia non
Naturaliter, sed Personaliter, 2. Sol & orbis, pes & ca-
put non constituunt unum ὁμοῦ μέρους, ideoq; frustra Major
illis infringitur. 3. Quatenus Sol unitur orbi, & pes uni-
tur capiti, non unum est extra alterum, Sol enim quatenus
unitus puncto orbis, non extra illud est punctum, quatenus
pes unitur cum capite in uno corpore, caput & pes ab uno
loco communi circumscribuntur. Quando autem orbis di-
citur esse extra Solem & caput alio in loco atq; pes, hoc fit
propter separationem, quia Sol videlicet ab orbe alicubi est
separatus, & pes separatum à capite est membrum; qua-
lem separationem inter λόγος & carnem fingere Nestoria-
num foret.

17. III. *Arguunt* argumentum paralogismo
ἡ ἐν τῷ ἀγνοίᾳ & ἐλέγχος: quia non quæritur, quid ex
Unionem λόγος habeat, sed quid ex Natura? Nam ex
distinctione Naturarum oritur, quod caro sit in
B certo

certo loco, & quod λόγος t. ubiq; & extra carnem, nec hinc magis Unionem solvi putant, quam ex distinctione Naturarum Beza. 1. Resp. 3. contra Selnecc. Vol. 2. fol. m. 272. Resp. autem Inverti statum ab ipsis Adversarijs, cum nos Naturas duas in Unione quatenus unitae sunt consideramus, in qua, quidem Naturarum distinctionem admittimus, personae autem divisionem nullatenus concedimus.

18. III. Plus, dicunt, esse in conclusione, quam in praemissis, hoc saltem sequi, λόγον semper sibi habere carnem unitam, sed non sequi hoc, carnem in omnibus illis esse locis, quibus sit λόγος. Beza cont. arg. Brentij. Resp. Si λόγος quibusdam in locis adest, nec ibi sibi habet unitam carnem, non potest non solvi Unio: λόγος enim in terris carnem sibi praesentem non habens, εἶναι dici non potest: λόγος autem in caelis carnem sibi praesentem habens εἶναι est; Ergo duplicem jam habetis Christum.

19. Tertium nostrum argumentum hac formam proponimus: Quicumque semper in omni loco est Θεός, semper & omni in loco carnem sibi habet praesentem. At Christus semper & ubiq; est Θεός. E. Major est immota veritas, quippe ille Deus non est homo, a quo homo per locorum διαστήματα est separatus.

20. Excipiunt communiter ad Majorem Christum semper manere Θεός, & semper hominem DEO uniri in illo loco, in quo est homo per naturam. Resp. Queritur vero de infinitis alijs locis, in quibus homo non est per naturam: Aut in illis caro verbo unita, aut non unita: Si prius; noli negare carnem λόγος in omnibus locis esse praesentem, Unio enim absq; unitorum praesentia non est:

est: Si posterius, Nestorianismum effugere nunquam poteris. His adde argumentum.

21. Quartum ex Subsistentia carnis mutuatum; Quaecumq; Natura subsistit in illocali hypostasi extra illum Loci respectum, illa non necesse habet saltem uno in loco subsistere in λόγῳ. At humana Christi Natura subsistit in illocali hypostasi & λόγῳ extra illum Loci respectum. E. Propositio minor est bimembris, 1. quod caro subsistat in hypostasi λόγῳ, quod illocali subsistentiâ subsistat. Prius probatur hoc modo: Aut caro Christi subsistit propria subsistentiâ: Et sic duae subsistentiae in persona Christi: Una λόγῳ, altera carnis: Aut alienâ, quae nulla potest esse alia quàm ἡμετέρις λόγῳ. Posterius membrum per se patet cum Unio non sit facta inter locum carnis & λόγον, sed extra ullius Creaturae respectum, inter solam humanam naturam Christi & λόγον; Ex abundanti addimus haec argumenta: 1. Quicquid subsistit subsistentiâ λόγῳ, illocaliter subsistit. At Humana Christi Natura subsistit subsistentiâ λόγῳ. E. 2. O subsistentia localis Christo cum alijs hominibus est communis. Subsistentia carnis Christi in λόγῳ Christo cum alijs hominibus non est communis. E. 3. Quaecumq; subsistentia est localis, competit humane Christi Naturae per se naturaliter. At subsistentia in personâ λόγῳ non competit humane Christi Naturae per se, naturaliter, sed κατ' ἄλλο personaliter. E.

22. Ultimò argumentamur ex contrariae sententiae absurditate: Nam si λόγῳ & totus in carne, totus extra carnem, ut quidam ex Calvinianis loquuntur, sequitur 1. λόγον esse totum ἐν σαρκί, totum ἄσαρκον. 2. Unionem aut solvi, aut non minus per τὸ extra carnem, quàm per τὸ intra carnem definiri. 3. In uno tantum loco erit personalis unio, in quo caro per naturam adesse potest, in ceteris non item. 4. Toties facta esset nova Unio, quoties caro

Christi locum naturalem mutavisset. 5. Persona erit extra id, cujus est Persona. 6. Creatura hic in terris propinquiores erunt λόγος, (quem in terris extra carnem collocant Adversarij) quam assumpta caro; hanc enim tam longè à terris, quam ipsum cœli abesse dicunt Calviniani, &c. Latius hæc diducta vide apud. D. Hunn. b. m. T. I. oper. Theol. fol. 355. Mentzerum in Antifad. p. m. 282. seqq. & in Antimartinio pag. 145. seqq. & Tom. 7. Gies. Disp. II. th. 40. seqq. Schröder. III. lib. contra Grab. de Nestorianis. argum. 7. p. 106. Grauerum in Absurd. Calvinist. c. 2. p. 107. seqq.

3. Antithesis.

23. Finimus jam Demonstrationem nostræ sententiæ, cui talem opponunt thesin Calviniani: λόγος semper est carni unius in illo loco, in quo caro est naturaliter, interim λόγος existit etiam illis in Locis, in quibus caro propter suæ Naturæ finitatem adesse non potest. Et sic λόγος semper in carne, non extra carnem, si Unionem respicias, est tamen extra carnem, si λόγος immensitatem & infinitatem consideres.

24. Argumenta hujus sententiæ ex his oriuntur principijs 1. λόγος semper in Unione personali manere in finitum, carnem vero finitam, hinc λόγος non posse ita in carne concludi tanquam in carcere, ut non sit extra carnem, nec carnem ita per omnia Loca posse extendi, ut sit omnibus in locis, quibus sit λόγος. 2. Caro Christi fuit in utero Mariæ, certo loco nascitur, patitur, crucifigitur, moritur, &c. λόγος autem non adfuit tantum in illis locis quibus caro præsens fuit, sed etiam in finitis alijs locis. E Concedatur λόγος esse extra carnem; quia caro in utero Mariæ, λόγος non tantum ibi, sed etiam extra uterum Mariæ, extra quem non fuit caro ante Nativitatem, Caro nascitur in Berthebem, patitur jerosolymis, non vero Romæ & omnibus alijs

alijs in locis, quibus tamen praesens fuit λόγος: Vide Bezam in Kelp. ad Brent. Arg. de Omnipraes. Carn. Christi. Vol. 1. fol. 510. seqq. Apolog. 3. contra D. Selnecc. quae habetur. Vol. 2. p. 266. in Colloq. Mompelg. Sess. 26. Martij. p. m. 321. Sadeel. de Ver. H. N. cap. 4. Matthiam Martini. in Defens. Sadeelis contra Mentzerum cap. 4. Pezelium & Grabium contra Hunnium, Danæum in Exam. Lib. Chemnit. p. 85. 86.

25. In Refutatione σοφισμάτων haec erunt animadvertenda. 1. In Unione λογος cum carne removenda omnes speculationes de carnis expansione & λογος inclusione: λογος quippe simplicissimus omnis quantitatis expertus, coarctari vel includi nequit: Caro vero non indiget ullâ expansione vel dilatatione, cum non per naturalem suum statum sed per personalem subsistendi modum sit omnibus in locis, qui personalis modus oritur ex personâ λογος quam per omnia loca extendi, nefas est cogitari, impium, effutire. 2. Quando quaeritur an λογος sit extra carnem, non quaestio movetur de λογος quatenus in se & suâ naturâ est, neq; de carne quatenus naturaliter in Essentiali suâ constitutione consideratur; sed quaerimus de λογος personaliter carnem inhabitante & carne personaliter in λογος subsistente. Non itaq; hic opponenda argumenta ex Naturali λογος & carnis conditione desumpta; Hanc enim admittimus, personalis autem inferius confirmabimus, nec aliâs Unionem irruptam retinebimus. 3. Unio personalis non restringi potest ad illum Locum, in quo caro φυσικως adest: Nam 1. Unio consistit in eo, quod caro subsistat in *υποστασει* Filij DEI, quam subsistentiam illocalem esse. *th. 21. evicimus.* 2. Unio est facta inter carnem & λογος, quae duo semper manent unita, Locorum intervallis nullam

4. Elenchus.

B 3

hic

hic *Ἀπόστολον* efficientibus, quippe Locus neq; forma neq; materia Unionis, sed externa saltem circumstantia. 3. Unicus ille locus in quo caro adest per naturam sepe fuit mutatus, modo enim Bethlehem, modo Jerusalem &c. fuit hic locus, non tamen ita mutata Unio personalis, quod tamen futurum esset, si *ἦν* saltem eo in loco adestet carni, in quo caro locabiliter & Naturaliter praesens. 4. Studiosè observandum discrimen inter praesentiam *ἦν*, quā adest creaturis, & inter praesentiam *ἦν*, quā adest carni personaliter sibi Unitæ, quæ duo reverà sunt distincta. Hæc enim constituit Unionem personalem, & fit per communicationem *ἁποστοσεως*: Illa non est talis, ut cuivis patet. His rectè consideratis facile tolli poterunt argumenta nobis opposita; De similibus quibus hoc loco; ut suserunt Adversarij unicum hoc addo: Non quævis similia huc revocanda, sed ea tantum, in quibus 1. Uniuntur duo subjecta perfecta non partiale, sed totale aliquid constituentia, ut Anima & corpus constituunt totum hominem, non verò sic Anima & caput, caput & pes &c. 2. Unio constituitur non per nudam *παροξασιν* attingentiam & assistentiam, sed per mutuam *ἁειχωρησιν* & Immeationem Naturarum unitarum.

Quæstio-
nis ter-
tiæ.
1. Thesis.

26. De secundâ questione hæc dicta sunt: conferimus nos ad tertiam quâ de *ἁποστοσεως* Naturarum queritur: quam hoc modo asserimus, quod Unio Naturarum in personâ Christi sit facta cum quâdam *ἁειχωρησιν* & immeatione, absq; immutatione vel conversione, unius Naturæ in aliam: Unde verissimas & realissimas esse docemus has propositiones: Homo est Deus & Deus genitus est homo, Filius Mariæ est filius Dei &c.

2. Confir-
matio.

27. Innititur hæc thesis argumentis sequentibus.
1. Pro-

I. Producimus Dictum antea citatum, Coloss. 2. 9. quod etiam hanc precedentem confirmare potest assertionem: Ita enim licet exinde argumentari. Quaecumq; inhabitatio Dei sit σωματικῶς, illa non potest esse absq; communicatione. Atqui inhabitatio filij Dei in carne sit σωματικῶς. E. Propositionem firmam reddimus ex genuinâ explicatione vocabuli σωματικῶς, quæ illa est, quod Paulus hac vocè voluerit notare modum inhabitationis, jam ille non est corporalis, sed personalis, quem cum Paulus σωματικῶν vocat, notare voluit λόγον factum esse ἐνοσμηθεῖτα & ἐσωμαθεῖτα, & habitare jam in corpore tanquam in propriâ domo: quemadmodum ergò Anima inhabitans corpus tanquam domum, corpus περιχωρεῖ & permeat, ut Anima ἐσωματικῆ & corpus ἐμψυχον fiat, ita & inhabitat Λόγος carnem ut caro θεωθεῖται & Λόγος ἐνοσμηθεῖται & verissimè & verissimè dicatur, quod absq; Naturarum communicatione fieri non posset.

28. II. Referrè huc possumus Dictum, Hebr. 2, 14. Sicut pueri communicaverunt carni & sanguini ita & ipse (filius) participavit jisdem. Ubi expressè dicitur filium DEI participare de Naturâ humanâ per carnem & sanguinem denotatâ, conferimus Dictum classicum, Job. 1. 14, Verbum caro factum est &c. Unde fit argumentum: Quaecumq; Natura particeps sit alterius Naturæ, illa communicatur alteri naturæ: Atqui expressè legitur filium DEI secundum divinam naturam participasse de Naturâ humanâ. E.

29. III. Urgemus illa dicta, in quibus legimus Humanam naturam esse filio Dei propriam ut, Act. 20, 28. Deus acquisivit Ecclesiam ἀπὸ τοῦ ἰδίου αἵματος proprio sanguine, Hebr. 9, 12. Christus per proprium sanguinem semel introivit in sancta, 1. Petr. 2, 24. Qui per-

per tulit peccata in corpore suo, 1. Job. 1, 9. Sanguis
Filij Dei emundat nos ab omni peccato: Argumen-
tum potest esse tale: Aut Filio DEI verè & realiter tribui-
tur caro & sanguis aut saltem secundum dici. Non hoc
E. Prius. Si autem verè & realiter filio DEI tribuitur.
propria caro, & proprius sanguis, aut per Naturam, aut
alio modo. Non illud, uti constat. E. Hoc; alium au-
tem modum, quam personalem appropriationem & commu-
nicationem non monstrabunt Adversarij. Neq; obstat trita
Calvinianorum Exceptio; Toti Christo attribui carnem
& sanguinem, sed secundum humanam naturam. Resp.
At enim Humanam presupponimus, divinam non excludi-
mus. Nam 1. Divina expressè notatur natura, 2. quedam
dicta loquuntur de officio Christi, quod secundum utramq;
ipsi competere Naturam in propatulo est.

30. IV. Prædicationes personales adjungimus,
in quibus una Natura de alterâ prædicatur in concreto,
quemadmodum inferius evidentius hoc apparebit, quales
leguntur, Math. 16, 13. Jerem. 23, 5, 6. Matth. 22, 42, 43.
1. Cor. 15, 47. Nectuntur hæ propositiones tali syllogismo.
Quæcunq; Nature de se invicem prædicantur, illæ non tan-
tum debent esse unitæ, sed etiam sibi invicem communi-
cæ: At Nature due in Christo de se invicem prædicantur.
E. Propositionem negant Adversarij. Probatum ita a. omni
prædicatione propria quæ vera non ficta, sed rei ἀληθῆς
conveniens; subjectum particeps est prædicati sive per es-
sentiam sive per accidentalem inherentiam, sive alio quo-
dam participationis modo. Jam, presupposito hoc ex se-
quenti deo dei & d, prædicationes personales esse proprias ve-
ras & reales, subjecta participabunt de prædicatis: Ubi
autem participatio ibi etiam communicatio, modum autem

com-

communicationis personalem vocamus, quippe alij modi non possunt ad hoc mysterium applicari.

31. V. Argumentamur x opere Redemptionis, quod requirit actiones *θεωδυνας* ut Veteres fuere loquuti, id est, non pure humanas, neq; pure divinas, unde sequitur: Messiam edisse actiones ab utraq; Naturâ, cum communicatione alterius, promanantes, quales sunt mori pro mundi vitâ, sanguine acquirere Ecclesiam, passionem & morte Patrem æternum reconciliare, &c. quæ actiones nunquam possent edi, nisi una natura ageret cum communicatione alterius, ut cap. 3. fusius demonstrabitur. Quæcumq; itaq; Nature communicatas edunt operationes, illas ipsas communicatas esse oportet. At Nature in Christo communicatas edunt operationes. E. Propositionem evineit inductio omnium actionum, quæ inter se nunquam communicantur, nisi communicatis principijs, ex quibus depromuntur.

32. VI. Deniq; ad consensum Ecclesiæ provocamus, cum quo nostra assertio convenit; Antiqui enim Patres valde Emphaticis vocabulis *κεινωσαν* hanc expresserunt Ignatius *λόγον* vocat *σαρκώδον* seu corpore indutum, & verbum esse factum carnem per *ἐνανθρώπησιν καὶ ἐνσωμάτωσιν*. Justinus Unionem vocat *ἀκρῶν ἔνωσιν*. Irenæus *λόγον* dicit *σαρκώδον* & utitur vocibus *σαρκώσεως* & *ἐνσάρκώσεως*, cujusmodi plura exacto judicio collegit. Chemnit. l. de D. N. c. 9.

33. Adversariorem sententia illa est, quod communicationem Naturarum & proprietatum non realem sed 3. Antithesis. verbalem dicant, cum autem fundamenta illorum cum ijs coincidunt quibus communicationem idiomatum infringere annituntur, de Antitheseos explicatione & confutatione

C

tione

rione hęc nihil addemus, sed ad evolutionem questionum
secundi capitis illam rejiciemus.

Quaestio-
nis quar-
ta.

1. Thesis.

34. Quarta itaq; appropinquat hujus capitis que-
stio, in qua differentia Unionis personalis erit indaganda.
Sub differentia autem nomine ne quis latibula quaerat, no-
tandum, nos hoc loco illa voce adeo rigorose non uti, quem-
admodum utuntur Philosophi, sed differentiam Unionis
personalis omne id vocamus, quo Unionem ~~divinam~~ non aliam,
quam personalem, esse firmissime ostendi potest. Hęc diffe-
rentia potissimum triplex est: Vel enim petitur ab Unio-
nis termino, qui est Persona: Unio enim facta in personam,
que Naturę divinę, essentialis Humanę vero communicata:
Vel ab Unionis materia nimirum Naturis disparatis ~~de-~~
~~χωρησι~~ mutuam se immeetibus. Vel ab Unionis adjun-
ctis, quod videl. hęc Unio sit facta 1. ἀτέλειως & ἀσυγχύτως
inconfuse absq; conversione vel essentiali immutatione.
2. ἀχωρείως ἀδιαιρέτως, ἀδιαιρέτως, ἀδιαιρέτως indivise
inseparabiliter, indistanter, ut unum non sit extra alterum,
& deniq; in eternum indissolubiliter. Vel tandem ab
Unionis effectu, nimirum communicatione idiomatum
de qua suo loco plura. Hęc differentie conjunctim sumptę
Unionem personalem constituunt, eamq; distinguunt: Unio
igitur personalis est divinę & humanę Naturę ar-
ctissima copulatio facta in unam personam λόγος, ἀτέ-
λειως, ἀδιαιρέτως, ἀσυγχύτως, & ἀχωρείως, communica-
tis καὶ συνδύασιν Naturis & proprietatibus.

2. Anti-
thesis.

35. Calviniani in suis de personam Christi libris his
potissimum hypothesis suam de differentiā Unionis per-
sonalis sententiam comprehendunt. 1. λόγος sustentat
carnem & eam sibi propriam facit, ut ex duabus Naturis
fiat unum ὑφιστάμενον, absq; reali communicatione Natu-
rarum

varum & proprietatum. 2. Formâ Unionis Hypostaticæ
duarum Naturarum in Christo est communicatio subsisten-
tiæ verbi cum naturâ assumptâ vide Bezam, Vol. 1. p.
519. & Volum. 3. p. 397. in Co^{ll}q. Mompel. p. 205. 3. Elen-
211. 213. Sadeel. de Verit. H. N. c. 1. pag. 1. 2. Pola- chus.
num in Synt. Theolog. 110. 6. cap. 16. pag. m. 376.
lit. E.

36. His superaddenda quadam est Πίκεσις, ne
simpliciores nolintâ linguâ Calvinistis consuetâ circum-
veniantur; Annotamus itaq; ad Hypotheses supra positas.
I. Λόγον sustentando, carnem sibi non facere propriam, cum
omnes creatura sustententur Λόγω, Hebr. 1, 3. II. Ex
duabus Naturis nunquam fit unum ὁμοῦς ἄρρον: si realis
Naturarum & proprietatum communicatio negatur:
Nam Nature ad unum ὁμοῦς ἄρρον unite differant necesse
est, à Naturis separatim subsistentibus, quam differentiam
nemo perfecte ostendere poterit, qui communicationem
Naturarum & proprietatum negaverit. III. Personam
carni Christi esse communicatam asserere nequeunt Calvi-
niani, quamdiu finitum capax negant infiniti & commu-
nicationem priorum ac Naturarum oppugnant, quod
latissimè & nervosissimè evicit M. Schröderus b. m. in
erudito libro. contra Grabov. de Nestor. & Euty ch.
IV. Quando personam Λόγου carni communicatam dicunt
Adversarij, saltem hoc intelligunt, quod persona per παρὰ
ἐξω in illo saltem loco, in quo caro adest per naturam, carni
sit conjuncta: propterea enim defendunt, Nestorianū suum
extra, quod videlicet totus Λόγος sit in carne & extra
carnem; Huc etiam tendunt similia de gemma unitâ
cum annulo, oceano unito cum Antwerpiâ, Sole
unito cum orbe, pede unito cum capite &.c. quæ omnia
quamdiu non rejiciuntur ab adversarijs, personam Λόγου
carni

*carni reverà communicatam esse, asserere nequeunt, neq̄
ostendere possunt, quid propriè Unionem personalem con-
stituat & distinguat.*

CAPUT II.

*DE ILLIS QUÆ EX UNIONE
PERSONALI CONSE-
QUUNTUR.*

THESIS I.

*T*Ria potissimum Unionis personalis sunt èmōdū, quæ
Unionem constitutam è vestigio insequuntur: Primò
enim ex Unione personali hæctenus explicatâ oriuntur Na-
turarum diversi status sive respectus: Secundò prædica-
tiones, quas nominamus personales. Tertium consequens
est communicatio idiomatum seu proprietatum.

*2. De his prædictis capitibus aliquot moventur quæ-
stiones, inter nos & Calvinianos controversæ, quæ ordine
enumeranda & evolvenda: Queritur itaq̄, 1. An ex
unione personali Naturæ nanciscantur distinctum
actum sive statum alium videlicet Naturalem, alium
personalem? 2. Quomodo rectè intelligendæ præ-
dicationes personales? 3. An prædicationes perso-
nales rectè dicantur inulitatæ? 4. An in prædicatio-
nibus personalibus totum personale de toto perso-
nali prædicetur? 5. An prædicationes personales
sint tropicæ vel figuratæ? 6. An sit realis quædam
communicatio idiomatum in persona Christi? 7. An
Unio & communicatio differant? 8. An certa sint
communicationis Idiomatū constituenda genera?*

*Quæstio-
nis pri-
mæ.
1. Thesis.*

*3. De primâ questione hac sit nostra sententia: Quo-
niam naturæ in Christo non saltem retinuerunt illæ-
sam essentiam, sed etiam personalem habent subsi-
sten-*

stentiam, duplicem Naturarum statum sive Actum
confitemur. Unum dicimus, naturalem sive essen-
tialem, quo naturis aliquid tribuitur secundum se &
sua essentialia principia. Alterum vocamus *Hyposta-
ticum sive personale* quò Naturis aliquid tribuitur
secundum peculiarem subsistendi modum.

4. Hanc distinctionem quoad verba alij aliter insi- 2. ἐξήγη-
gnunt: Actum enim naturalem quidam vocant τὸ εἶναι, σις.
quidam dicunt καὶ αὐτὸ ἔ per se aliquid attribui Naturæ
quando secundum actum naturalem ipsi attributum quod-
dam tribuitur. Actum personale alij dicunt ὑπερ-
φυλικόν, alijs τὸ personaliter attribui, idem est, quod
κατ' ἄλλο ἔ καὶ τὸ ἔχειν attribui. Hæc nominalis differen-
tia ideo annotanda fuit, ne ex verborum mutatione rerum
& sententiarum statim quis colligat dissonantiam.

5. Præterea etiam illud in prædictâ Distinctione ob-
servationem meretur: quod Actus Naturalis & perso-
nalis discrimen non sit ita evidens in Naturâ divinâ atq;
in Naturâ humanâ. Ratio differentie præ alijs hæc videtur
posse in medium afferri, quod Natura humana à suâ subsi-
stentiâ plus differat, quàm Natura divina à suâ: Persona
enim ἔ Natura divina non nisi intentionale quoddam ad-
mittunt discrimen. Persona autem Naturæ humanae ἔ
ipsa Natura realiter differunt, cum in Christo Natura hu-
mana sit personata personâ λογ.

6. Ne autem è nostro cerebello hanc Distinctionem 3. Confir-
videamur deduxisse, immòta fundamenta illi substruemus, matio.
quorum desumimus Primum ex Subsistentia Huma-
næ Naturæ, qua non est Naturalis, sic enim propriam
Humanitas Christi obtineret subsistentiam ἔ personam;
sed personalis: Unde licet cruere talem ἀπόδειξις. Quic-
quid subsistit non ex se ἔ suâ naturâ, sed subsistentiâ alte-
rius.

rius, illud non solum actum Naturalem sed etiam personalem possidet. At caro Christi subsistit non ex se & sua Natura sed subsistentia alterius. E.

7. Alterum fundamentum latet in prædicationibus personalibus in quibus filius hominis dicitur filius DEI vivi, Matth. 16, 16. Filius Mariæ, filius altissimi, Luc. 1, 12. &c. Hinc fluit Demonstratio talis: Concretum unius Naturæ prædicatur de concreto alterius Naturæ, vel per statum Naturalem, vel per statum personalem. Non prius, quia filius DEI naturaliter non est filius Mariæ & DEUS naturaliter non est homo. E.

8. Tertium fundamentum subministrant illæ propositiones, quibus filius DEI natus, passus, crucifixus &c. dicitur, ex quibus sic inferimus: Filius DEI nascitur patitur &c. aut naturali actu aut personali aut nullo. Non prius, quia DEUS per Naturam pati nequit, non possemus, quia sic Maria non esset *θεοτοκος*, & DEUS de passione sua carnis nihil participaret, quod Nestorianum. E. relinquatur nobis medium.

9. Quartum fundamentum est Naturarum unitarum conditio, quæ exigit ut Naturæ unite differant ab alijs. Quapropter ita procedimus: Quæcumq; Naturæ differunt ab alijs Naturis, sibi consubstantialibus, illæ non possunt tantum manere in statu Naturali. At Naturæ in Christo differunt ab alijs naturis sibi consubstantialibus. E. Propositio est evidens ex eo quod Naturæ consubstantiales in statu suo Naturali semper sibi consentiunt. Assumptio liquet ex Unionem quæ Naturas unitas distinguit ab illis Naturis quæ non sunt unite: Cum verò distinctio fieri non possit per statum naturalem, necesse est fiat per statum alium quem nos personalem dicimus.

10. *Coronidis vice ex Mentzeri Antifadeele p. m.*
189. *etiam hoc addimus argumentum: Quicquid est in*
humanâ Christi natura naturale, illud est ei cum omnibus
hominibus commune. Atqui multa habet Humanitas Chri-
sti non communia cum alijs Hominibus. E. multa sunt in
humanâ Christi naturâ ὑπερφυσικά & non Naturalia; ;
Unicum itaq; statum saltē, Naturalem nimirum, qui in
humanâ Naturâ statuit, Minorem tenetur in argumento
negare, quam nos tamdiu defendemus, quamdiū subsi-
stentia in ὑποστάσει & λόγῳ omnipotentia, omni-
præsentia, virtus iudicium faciendi, & virtus vivifi-
candi nulli homini cum homine Christo sunt com-
munia.

11. *Ex his omnibus licet cuivis videre, quibus fun-*
damentis innixa sit distinctio inter τὸ Naturale & τὸ Per-
sonale, qua in hoc certamine Calvinistico à Nostratibus in
primâ posita est acie. Cum vero videant Antagonista mā-
ximam sui dogmatis partem prædictâ Distinctione refuta-
ri posse, omnes intendunt nervos ut eam elidant atq; elu-
dant: Quo in opere præ alijs desudârunt Keckerman-
nus l. 2. Syst. Log. Sect. i. c. 4. Goclenius, Polanus
Sadeel & ipsius ὑπερασίστης Martinus Bremensis, qui
Actum personalem perpetuò & unanimiter negant. Vide
imprimis Sadeel, de Ver. H. N. pag. 58. 66. 70. 71.
81. 82. & c.

4. Anti-
thesis.

12. *Tela verò quibus nostra Distinctio petitur, ex scri-*
ptis illorum ceu pharetrâ eduxi sequentia. I. Distinctio-
nem nostram veram esse non posse; cum dogma il-
lud de Ubiquitate carnis Christi, ad quod defenden-
dum hæc Distinctio applicatur, sit falsum & tollat
veritatem humanæ Naturæ. II. Tò Personale pro-
priè ad totam personam referri debere, quò sensu
Actus



Actus personalis non negetur, non vero ad id, ex quo persona constat videlicet ad unam alteramve Naturam. III. Constare personam Christi ex utraq; Naturâ: non itaque posse Naturale opponi, personali. IV. Limitationem hujus Distinctionis coincidere cum subjecto & prædicato: Nam corpus Christi esse ubiq; secundum modum majestatis; & esse circumscriptum, secundum modum circumscriptiois, cum subjectis & prædicatis coincidere. *Hæc sunt præcipua spicula, quibus Antagonista nostra Distinctionis ruinam moliuntur.*

13. *Facile autem his resistitur, si una atq; altera regula memoria infigatur. Observetur idcirco 1. Aliud est querere de Dogmate, aliud de Distinctione, quæ ad dogma confirmandum adducitur, neq; ulla convenientia ratio dari potest. Dogma falsum & Distinctio quæ ad dogma confirmandum applicatur, e. g. Falsissimum & Hereticum dogma est Photinianorum: Christum non esse DEI æternum filium & verum essentialem DEUM. Defendere hoc inter alia satagunt Distinctione inter DEUM Naturæ, & DEUM officio, inter Filium naturalem & Filium adoptivum, &c. quæ Distinctiones per se bonæ, Dogmate manente impio & heretico. 2. Dogma nostrum de ubiuitate carnis Christi esse falsum & tollere viritatem humanæ Naturæ probari nequit. 3. To personale attribuunt uni Naturæ ipsi Calviniani, cum sæpius dicant & scribant; carnem $\rho\omicron\gamma\omega$ esse unitam personaliter. IV. Licet humana Naturæ non sit persona tamen est $\iota\pi\omicron\sigma\iota\omicron\upsilon$ & personata, ut ita loquamur, quo respectu actum personalem ipsi assignamus. V. Naturale à nobis personali non opponitur sed subordinatur; Naturale enim ex Naturarum veritate, Personale ex Naturarum Unione oritur. 6. Distinctio inter actum natu-*

naturalem & personalem non coincidit cum subiecto & predicato qua limitantur. Si enim dicas: Caro Christi est in certo loco actu naturali, est ubiq; personali actu, predicatum à distinctionis terminis differre vides, ut principium ab affectione qua x principio oritur: Nam locabilitatis in certo loco causa & principium est actus Naturalis s. Naturæ humanæ veritas: Ubiquitatis vero & omnipresen- tiæ causa est actus personalis; nempe subsistentia Carnis in ἄνω.

14. Diximus hætenus qua dicenda instituimus de primâ questione hujus capituli: In alterâ, alterum Unionis personalis aggredimur consequens, quod predicationes personales constituimus: De harum genuino cum quaratur sensu, aliquot observationibus eum aperiemus, quarum esto. I. Predicationes personales dicimus illas, in quibus concretum unius Naturæ prædicatur de concreto alterius Naturæ, propter Personæ idenitatem & Naturarum *ἁπλοῦς*, quales leguntur Jer. 23, 5, 6. Matth. 1, 11, 23. c. 16, 13, 16. Luc. 1, 35. 1. Cor. 15, 47. II. Doctrina de predicationibus personalibus illustratur haud parùm sanâ explicatione Abstracti & concreti. Breviter itaq; notetur, duplicia hoc loco occurrere Abstracta & concreta. Alia Naturæ, alia personæ. Concreta naturæ sunt voces unam alteramve naturam cum connotatione Hypostaseos designantes, ut: Homo, Deus &c. Abstracta Naturæ sunt voces formam & essentiam in se consideratum notantes, ut Humanitas, Divinitas. Concreta personæ sunt voces totum *ἰσοπέδον* & utramq; Naturam exprimentes ut Christus, Salvator &c. Abstracta personæ cum concretis naturæ coincidunt. Quandocunq; ergò loquimur de Abstractis, videndum, cuius concreti respectu dicatur, vide Meisn. part. I, Philos. sub. Sect. 4. c. 5.

D

p. m.

Quæstio-
nis se-
cundæ.
I. Thesis.

p. m. 696. seqq. *III. Abstracta Naturarum de se invicem non predicantur, ut liceat dicere Divinitas est Humanitas, quia 1. Scripturam non habemus præviam. 2. Unio non est facta ad unam alteramve Naturam, sed ad personam, de quâ cum utraq; Natura participant, rectissime de se in concreto predicantur, cum connotatione. 3. Abstracta loquendi formula nisi recte explicentur, facilem Naturarum abolitionem vel immutationem inferre possunt. 4. Disparata de se non possunt predicari nisi principium, quo Disparata uniuntur, simul connotetur. IV. In hac predicatione (DEUS & homo) vocabulum DEI notat ipsam Naturam, sed suâ personâ subsistentem: sic vocabulum hominis notat itidem Naturam humanam, sed connotat subsistentiam, quam ex Naturâ, caro ex gratiâ possidet. Hinc apparet vera ratio quare concretum unius Natura predicetur de concreto alterius, quia videlicet de unâ personâ communicant.*

Quæstio-
nis ter-
tiæ.
1. Thesis.

15. *His presuppositis sensum predicationum personalium facile assequemur; Ideo de hinc ad tertiam dilabimur questionem quâ de qualitate harum predicationum sumus solliciti. Thesin defendemus talem: Prædicationes personales non sunt Univocæ, non paronymicæ & Accidentales, neq; ad ullum modum prædicandi Logicum referri possunt: sed sunt inusitatæ, ob disparata extrema & inusitatum cohæsionis & prædicationis modum.*

2. Confir-
matio.

16. *Hanc thesin munimus his, quæ sequuntur argumentis. I. Omnis prædicatio Univoca est essentialis, ita ut prædicatum pertineat ad essentialiam subjecti. At prædicationes personales non sunt essentialis neq; unquam prædicatum est de essentiali subjecti. E. Majoris ratio hæc afferatur, quod prædicationes Univocæ vel sint generis de specie, vel*

vel speciei de individuo, vel differentia de specie, quæ omnes sunt essentielles.

17. II. In prædicationibus Univocis prædicatum ita tribuitur subjecto singulari, ut etiam alijs singularibus possit attribui. At in prædicationibus personalibus non tribuitur prædicatum subjecto singulari, ut etiam alijs tribuatur. E. Propositum nititur inductione omnium prædicationum Univocarum, in quibus est subjectum singulare. Minor per se evidens: cum enim dico. Hic Homo est DEUS, hoc prædicatum de nullo alio homine dicitur, sic etiam. Hic DEUS est homo &c.

18. III. Qualis est cohesio subjecti & prædicati talis etiam prædicatio, quæ ex illâ oritur. At in prædicationibus personalibus neq; essentialis, neq; accidentalis est habitudo subjecti & prædicati. E.

19. IV. In prædicationibus personalibus due substantiæ disparatæ vocabulis Synonymicis & substantivis de se affirmativè prædicantur. At in nullâ prædicatione Logica due disparatæ substantiæ vocabulis Synonymicis & substantivis de se affirmativè prædicantur. E. Minorem juvante Domino inductione exemplorum in conspectu obtinebimus.

20. Quidam ex Calvinianis & fermè omnes, fenestras huic veritatis luci præcludere, annuntuntur, qui inusitatas prædicationes odio plus quam Vatiniano prosequuntur, & prædicationes personales ad usitatos prædicandi modos referre operam impendunt: quorum è numero sunt Goclen. in problem. ad Instit. Log. probl. ad Instit. Log. probl. 37. p. m. 274. Crellius Isag. Log. l. 2. c. 3. Dist. 3. D. Franck. Theologus Francofortensis in Lampade Euch. Controvers. part. I. Disp. 24. th. 24. Considerat. Commonef. de cœnâ pag. m. 54.

3. Antithesis.

21. *Basin sua opinionis his includunt Hypothesibus:*
 I. Logicam esse Instrumentum omnium disciplina-
 rum & $\chi\rho\eta\sigma\iota$ ad omnes scientias se applicare, prout
 itaq; quælibet scientia suppeditat propositiones ita
 accipit. II. Verbum & $\kappa\omicron\rho\mu\epsilon\sigma$ DEUM & Homi-
 nem à Theologo non ut Disparata, sed ut consenta-
 nea in unione personali, Logico proponi, Nihil er-
 gò mirum si hos terminos affirmans colligat Lo-
 gicus. III. Quando Homo de DEO dicitur &
 DEUS de homine: prædicatum semper esse de essen-
 tia subjecti. Divina enim & humana Natura sunt es-
 sentia hujus personæ, ideò hîc nihil esse inusitati.

22. *Respondemus. 1. Damus libenter Logicam $\delta\iota\delta\omega-$
 $\mu\epsilon\sigma\alpha$ ab omnibus disciplinis accipere, suaq; instrumenta illis
 applicare. Sed interim etiam hoc non prætermitti volumus,
 quod Logica, accepta ab alijs Disciplinis, ad suas regulas &
 prædicandi modos mensuret: Cum vero Exempla propo-
 nuntur Regulis Logicis non consentanea, illa Logicus sc. ne-
 scire & suam artem transcendere fateri debet. 2. DEUS &
 homo in unitate personæ quidem conveniunt, sed propterea
 disparata esse non desinunt; quia distinctio Naturarum
 semper maneat. vide prolixè D. Meisner, part. 1. Philos.
 Sobr. Sect. 1. c. 5. q. 10. & part. 2. Sect. 2. cap. 2. q. 8.
 3. Prædicatum semper foret de essentiâ subjecti, si subjecti
 loco totum esset $\upsilon\phi\iota\sigma\tau\epsilon\iota\mu\epsilon\sigma\alpha$, seu totum personale quod fal-
 sum esse sequenti questione monstrabitur, Queritur itaque.*

23. *Quartò: An in prædicationibus persona-
 libus totum personale prædicetur de toto persona-
 li? Ad quam tali Thesi respondemus: In prædicationi-
 bus subjectum & prædicatum non est totum $\upsilon\phi\iota\sigma\tau\epsilon-$
 $\mu\epsilon\sigma\alpha$, seu duæ Naturæ in Christo simul sumptæ: sed
 vel persona $\lambda\omicron\gamma\iota\varsigma$ simplex, vel una alterutrage na-
 tura*

Quæstio-
 nis quar-
 tæ.

1. Thesis.

tura vocabulo concreto expressa, & sensu concreto sumpta.

24. Argumenta hujus assertionis derivamus 1. ab origine prædicationum personalium. Oriuntur ille ex hâc prædicatione Verbum factum est caro; ex quâ sic inferimus; sicut subjectum & prædicatum accipiuntur in hâc prædicatione, Verbum caro factum est, ita etiam sunt accipienda in prædicationibus personalibus. At in hâc prædicatione Verbum factum est caro subjectum & prædicatum notant alterutram Naturam. E. Propositio probatur: quia, nisi verbum caro factum fuisset, nunquam dicere potuissemus DEUS est homo &c. neq; unio jam alia est, quam in initio facta est: si itaq; ita duæ Naturæ sunt unite, ut in concreto de se prædicentur, quid obstat, ut non sic unite manserint? Minorem nemo negabit, nisi quis ita tardus esse velit, ut totum personale factum esse totum personale, nugetur.

2. Confir-
matio.

25. 2. Ab absurdâ ἀνάλογίᾳ: Quando enim in subjecto & prædicato totum intelligitur, hanc propositionem: DEUS est homo: ita resolves necesse est, Persona quæ DEUS, est persona, quæ homo: quæ ἀνάλογίᾳ Antiquitati ignota, prædicationes identicas nobis efficit, meram λεπτολογίαν sapientes: Quacumq; autem prædicationes sunt Spiritus S. prædicationes, ita sunt explicanda, ut non fiant tautologica. At prædicationes personales sunt Spiritus S. prædicationes. E. vide prolixius D. Meißnerum part. 2. Philos. Sob. 6. 2. q. 7 ex quo pete Antithesin ejusq; ἀναστροφῆν, properamus enim ad illas controversias, quæ litem aliquantò ferventiorē inter nos & Calvinianos, provocant.

26. Quod itaq; quinto loco querebatur, an videlicet Tropicæ vel figuratæ sint prædicationes per-

Quæstio-
nis quin-
tæ.
I. Thesis.

D 3

sona-

personales? *negando explicamus; statuentes, hasce prædicationes proprietate Rhetorica esse proprias, & literali sensu accipiendas.*

2. Confir-
matio.

27. *Duabus hanc thesin fulcimus columnis, quarum prima est, quod Tropus non sit in totâ quadam prædicatione, sed in unâ alterâve voce. Est enim mutatio vocis à propriâ significatione in alienam: Secunda est ista: quod in prædicationibus personalibus nullum possit ostendi verbum Tropo affectum; Unde fit argumentum: In quacunq; prædicatione nulla vox à nativâ significatione abducta potest ostendi, in eâ nullus est Tropus. At in prædicationibus personalibus nulla vox à nativâ significatione abducta potest ostendi. E.*

3. Anti-
thesis.

28. *Frontem hoc loco perfricant Adversarij, qui Tropicas prædicationes personales dicere haud erubescunt: Expresse enim Beza in Colloq. Mompelg. pag. 366. fatetur: Tropicam esse loquutionem, quam nos inusitatam dicimus, cum enunciatur: Hic Homo est DEUS. Conjunge Goclen. part. 3. probl. 64. Consider. Commonet. de coenâ p. 84. Paræum in Iren. c. 28. art. II. pag. 264.*

29. *Præcipua illorum argumenta ex his fluunt principijs. I. Prædicationes has esse Logicas, ideoq; vel proprias vel improprias: ad proprias autem referri non posse; ideoq; ad figuratas. II. Naturas Euty-chiano more non esse confundendas, adeoq; in hac propositione: DEUS est homo, Homo est DEUS DEUM & Hominem non notare naturam, à quâ sunt denominatæ tantùm, sed etiam divinam Naturam, unde ita resolvendæ: DEUS est homo, secundum divinam Naturam, Homo est DEUS, secundum Deitatem.*

30. His

30. His & alijs Calvinistarum copijs ut maturè ob-
veniamus, ceu propugnacula objicimus has observationes.
I. Non est necessarium, ut singulae praedicationes mysticae ex
Theologia latifundio de sumpta ad modos praedicandi Logi-
cos referantur, e. g. Spiritus S. est DEUS, DEUS est omni-
potens, Virgo est mater, neq; propria, proprietate Logicâ,
neq; figuratae sunt propositiones & tamen verissima vide
Graw. et. in Absurd. Calvinist. cap. 1. p. 95. th. 16.
II. Eutychianismum inferunt praedicationes, in quibus na-
tura de se praedicantur: quatenus in se & suâ essentiâ sunt,
non verò illa quibus connotatur subsistentia in unâ perso-
nâ & principium ἐνοπιόν quo uniuntur & coherent. 3. Ine-
pta est ista praedicationum personalium ἀνάλυσις DEUS est
homo humanitate. Homo est DEUS Deitate, vel secundum
divinam naturam: Nam 1. esse DEUM secundum Deitatem,
& hominem secundum humanitatem essentiale est & Na-
turale. Homo itaq; secundum Deitatem DEUS non est, qui-
pè essentialiter & naturaliter DEUS esset: Sic nec DEUS sua
humanitate homo est: essentialiter n. homo esset. 2. In omni
praedicatione, subjecto suum attribuendum praedictum.
Si autem hominem dicas DEUM suâ Deitate, subjecto nihil
de praedicto attribuis, quod ita ostendo. Quodcunq; praedi-
catum per restrictionem à subjecto removetur, illud ipsi non
tribuitur. At praedictum in praedicationibus personalibus
juxta Calvinianam ἀνάλυσιν à subjecto per restrictionem
removetur. E. Minor facile patet cum praedictum DEUS
vel homo per additas particulas secundum humanita-
tem & secundum Deitatem ad illud subjectum à subje-
cto praedicationis diversum restringatur, e. g. DEUS est
homo humanitate suâ; Hic praedictum restringitur ad
humanitatem & Divina naturae, qua tenet locum subjecti
in rei veritate nihil tribuitur. Unde semper hoc manet in
con-

controverfiâ quomodo DEus dicatur homo & DEus? Aut fateantur hîc Calviniani DEum personaliter verè esse hominem & vice versâ: aut acquiescant, in eo, quod Homo qui se redemit, sit saltem figuratè & secundum dioi DEus.

Quæstio-
nis Sextæ.

i. Thesis.

31. Sexta quæstio Acropolin Controversiæ inter nos & Calvinianos in Loco de personâ Christi ventilandæ, comprehendit; quippè communicatione priorum vix quicquam in hoc loco hæctenus oppugnârunt acerbis Calviniani: Nostra Thesis sit ista; Unio personalis non est talis quædam combinatio, quam nulla concomitetur priorum communicatio, sed quemadmodum Naturæ ita se invicem permeârunt ut Homo sit & dicatur DEUS, DEUS homo: ita Naturarum unitarum proprietates manentes in suis nativis & originalibus subjectis, sunt realiter non verbaliter communicatæ, ita ut propter Naturarum arctissimam unionem, communis sit priorum possessio, usurpatio & prædicatio utrisq; Naturis.

2. ἐκ θεοῦ
ὄρων.

32. Antequam ἀποδείξωσ proferamus argumenta duo videntur præmittenda 1. ἐκ θεοῦ τῶν ὄρων. 2. ἐξ ἡμεῶν θεοῦ. In ἐκ θεοῦ τῶν ὄρων vox proprii & vox communicationis ambiguitatis liberationem requirit. Non autem enarrabimus omnes harum vocum significatus, quos, qui vult, legere potest apud Schröderum in opusc. de communicat. Proprii th. 10. seqq. sed saltem de significatione, quam in hoc Loco tenent hæc vocabula, quædam annotabimus.

33. De voce proprii seu ἰδιώματα & hæ notentur cautiones. I. ἰδιώματα & proprium in hoc capite & in hæc materiâ non notat tantum Accidentia ἐπισημάδη, qua essentiâ constitutam insequuntur, sed etiam ea ἰδιώματα quæ cum ipsâ essentiâ reciprocantur, ut propria Deitatis.

II. Non

II. Non solas *δυνάμεις* & *αἰτίαι* primos nomine proprij hīc
 dignamur sed etiam *νεύσεις* & operationes proprias.
 III. Occurrunt hāc iⁿ quaestione propria que solum uni
 subjecto competunt & nulli prater ipsum, ut Subsistere in
 Hypostasi *λόγῳ* & nasci ex virgine. IV. Etiam ea,
 que per se sunt communia, hoc loco dicuntur propria, ve-
 rum in *κατὰ* respectu, & collatione cum alio: Sic idiomata
 divina dicuntur propria filij DEI in collatione cum reliquis
 personis, quibus tali subsistendi modo non conveniunt, per
 se vero Trinitati toti sunt communia: Item passibilitas,
 mortalitas &c. competunt alijs animalibus, non soli Homini,
 nihilominus ea omnia hīc dicimus humane Naturæ propria
 in collatione videlicet cum divinitate, cui prorsus per na-
 turam non sunt propria.

34. De voce *κοινωνίας* seu communicationis saltem
 duo hīc tenenda. 1. Communicationem intelligimus eam
 que fit in proprijs illis, quorum subjecta sunt *συνδεδυασμέ-
 να*, combinata, unita & uno in principio se mutuò ample-
 ctentia & permeantia. 2. Communicationem aliam non
 defendimus, quam illam, quæ propria è suis subjectis non
 emigrantia subjecto diverso communia fiunt, quoad *κτίσιν
 κτήσιν* & *καθ' ἑαυτάς*.

35. Hæc de *ἐκθέσει* Terminorum; *ἐξήγησις* Theses 3. *ἐξήγη-
 αλλὰ* consistit in hisce regulis. 1. Non pro omnium proprio-
 rum communicatione in personâ Christi præcisè pugna-
 mus, sed pro communicatione illorum, quæ scriptura com-
 municata asserit. 2. Realem communicationem cum de-
 fendimus, vocem hanc fictitiæ & verbali communicationi
 opponimus. 3. In genere saltem communicationem pro-
 priorum demonstrabimus, specialem demonstrationem se-
 quenti capiti reservantes.

36. His prælibatis partes probantium ad nos devol- 4. Con-
 vunt- firmatio.

E

vunt-

vuntur, ut thesis supra posita veritati asseratur & conse-
cretur. Argumentum primum ^{ruimus ex Dicto, Job. 1,}
14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis,
& vidimus gloriam ejus, gloriam ^{quasi Unigeniti à}
patre plenum gratiæ & veritatis, cum ^{dicto conferi-}
mus locum, 1. Job. 1, 1. Quod fuit ab initio ^{quod audi-}
vimus, quod vidimus oculis nostris, quod ^{mus & manus nostræ}
contrectaverunt de verbo
vitæ. Hec dicta tale nobis suppeditant argumentum.
1. Quæcumq; Unio ita describitur in sacris, ut divine natu-
re humana idiomata attribuuntur & humane divina, illa
non est absq; reali communicatione proprietatum. At Unio
personalis ita describitur in sacris ut divine nature, idio-
mata humana, humane divina attribuuntur. E. Major pro-
positio suâ luce radiat, cū scriptura ita propria attribuit, ut
reverâ competant, cui tribuuntur. Minor patet ex citatis
dictis in quibus observetur. I. Habitatio visibilis inter homi-
nes, quæ per auditum visum & contrectationem explicatur,
qualem habitationem Hominibus (in respectu ad DEUM)
esse propriam palàm est; Ea autem illi verbo attribuitur,
quod caro factum & quod fuit ab initio. II. Visibilitas
gloriæ filij Unigeniti: gloria autem divina per se non est
visibilis. E. Per communicationem proprij humana nature;
Medium enim hoc loco nemo ostendere poterit. His addi
possent alia dicta verum, cum non sint ejusdem generis de
illis in certis classibus erit agendum, ne præsens caput ni-
mium excrescat.

37. Exceptio communis Adversariorum, quâ huic
& alijs ex scriptura adductis argumentis occurrere solent,
illa est; Communicationem idiomatum consistere
in illis prædicationibus, quibus de DEO humana,
& de Homine divina prædicantur, & nihil aliud esse
quam

quam modum prædicandi, quo propter personæ unitatem divina de humana natura dicuntur & humana de divina; Hinc Danaus expressè scribit in Exam. Chemnit. ad p. 164. l. 23. p. m. 304. Dona & res realiter non communicari sed tantùm appellationes & nomina.

38. Respondetur autem 1. prædicationes à communicatione differre ut res & notiones $\pi\epsilon\alpha\gamma\mu\alpha\tau\alpha$ & $\nu\omicron\eta\mu\alpha\tau\alpha$ prius & posterius. 2. Quemadmodum unio non est verbalis nec communicatio. 3. Christo DEO tribuitur pati, sanguinem effundere &c. & Christo homini tribuitur sessio ad dexteram DEI, potestas iudicium faciendi, vivificare, gubernare omnia in cœlis & in terrâ &c. Aut itaq; hæ prædicationes congruunt rebus, ut videlicet res ita habeant, ut prædicantur. Aut non congruunt: Si posterius, scriptura falsas continebit propositiones, quod ἀσέες & ἀθεόλογον: Si prius, prædicationes non erunt merè verbales.

39. Alterum argumentum ex communicatione Naturarum resultat, quam suprâ obtinuimus: Ita autem formari potest: Quæcunq; Natura inter se realiter possunt communicari, illarum Naturarum proprietates possunt communicari. At in personâ Christi Natura inter se possunt realiter communicari. E. Et Naturarum proprietates: Major constat ex proprietatum & Naturarum indivisibili nexu, quid? quod Natura absq; proprietatibus non sunt amplius natura integra, si itaq; communicatio omnium proprietatum negatur, Natura integra non erunt communicatæ, quod repugnat argumentis suo loco allatis.

40. Tertiò concedunt ipsi Calviniani personam carni Christi esse communicatam, unde talis emergit discursus: Si persona λόγος carni Christi est communicata, multò magis

gis proprietates & idiomata. At prius verum. E. & posterius: Ratio connexionis hæc datur; quia persona λόγος magis est propria, quàm idiomata, communicato itaq; eo quod magis proprium, cur non communicaretur quod minus proprium. Prius rursus per se est manifestum ex abundantia ita potest evinci. Propterea quod unum quodq; tale est, illud est magis tale. At propter personam idiomata λόγος sunt propria. E. Personam magis propria.

5. Antithesis.

41. De generali Communicationis Idiomatum confirmatione hæc dicta sunt, quæ speciali à modo dei magis magis stabilientur: Restat ut Calvinianorum, (qui Jesuuitarum hic fruuntur suffragiis) sententiam audiamus: Quantum vero mihi licuit illorum scripta legere, mentem ipsorum hæc Antithesi exprimi posse videtur: Nulla est realis communicatio proprietatum in personam Christi; quasi divina natura reveram possideat & usurpet humanæ naturæ propria, & contra: (hoc enim absq; Euty-chianismi defensione propugnari nequit) sed proprietates realiter sunt communicatæ, quatenus in personam unam cum naturis sunt unitæ & quatenus communicatio idem est, quod unio; unde semper Prædicationibus quæ vel divina de homine, vel humana, de DEO enunciant, ita sunt resolvendæ ut in subjecto tota persona ab alterutra Naturam denominata intelligatur, de quo in concreto unius Naturæ idioma prædicatur, saltem secundum illam Naturam cui prædicatum naturaliter inest: E. g. DEUS est passus sed secundum humanam naturam: Christus est omnipræsens, omnipotens, omniscius sed secundum divinam Naturam: Hinc communicatio idiomatum definitur modus loquendi, quo unius Naturæ idiomata prædicantur de tota personam, ita ut tribuantur realiter illi Naturæ

tura cui idioma naturaliter καὶ ἐνυπαρξίῳ inest; Alteri autem Natura, cui non est naturale, tribuatur per Ἰδιόξιν ὀνομασίῳν per figuram vel peculiarem modum loquendi. Copiosorem horum omnium explicationem lege apud Bezam in Colloq. Mompelgart. in Resp. ad Thes. de Perf. Christi ad th. 5, 6, 7, 8, 9. & pag. 213. 221. 241. 242. Item Volum. 1. op. Theol. p. 540. seqq. Danæur in Exam. lib. de D. N. Chemnit. ad p. 164. l. 23. p. 304. Sadeel. de Verit. Hum. Nat. Tit. de Commun. trop. pag. m. 31. seqq. Polanum Syntagm. Theol. lib. 6. cap. 16. fol. m. 379. Paræum in Iren. p. 265. Matth. Martinium in Defens. Sadeel. contra Mentzer. p. 255. ex Jesuwitis consule Bellarminum lib. 3. de Christo c. 9. & Becanum in Theolog. Scholast. part. 3. Tr. 1. c. 7. q. 1. & 3.

42. *In Defensione hujus theses Leges Disputationis 6. Elen-
 mirum in modum transgrediuntur Adversarij: Nam 1. chus.
 obstricti sunt ut suam assertionem firmis argumentis prius
 probent antequam nostram oppugnent. Verum ibi vix
 unum argumentum Calvinianorum invenies, quod defen-
 dat ipsorum thesin & ita concludat. E. Communicatio
 idiomatum est tantum modus prædicandi: vel com-
 municatio idiomatum est saltem verbalis. Omnia ar-
 gumenta eò sunt directa ut nostram thesin oppugnent, &
 suam nunquam probaverunt. 2. Argumenta potissima de-
 sumunt ex Naturâ, & animadvertenti apparebit, quod
 ideò negent communicationem propriorum realem, quia
 videlicet illa pugnet vel cum Naturâ propriorum vel cum
 Naturâ subjectorum naturalium. Verum, licet falsum sit
 quod communicatio propriorum careat exemplis etiam in
 naturâ obvijs: (quemadmodum ex Unione Ferri & Ignis,
 Anima & corporis, materie & Formæ invictè demonstrâ-
 runt Schröderus in Opusc. de Communicat. prop.*

Jacobus Martini de eadem materiâ, & Meisnerus
part. I. Phil. Sob. Sect. I. c. I. q. 2.) Licet etiam ad ar-
gumenta Philosophica Adversariorum facili negotio re-
spondeatur, ut ex dictis Authoribus videre licet tamen nos
non tenemur ad illa argumenta respondere; Et si responde-
mus saltem id fit ex liberalitate & ex abundantia: Nam si
maximè nullum exemplum ex naturâ posset afferi, quo
ostendatur communicatio priorum si etiam argumenta
ex Naturâ priorum & subjectorum deas maximè
subsisterent in Naturali & ordinario subjectorum & pro-
priorum statu, tamen contra nos nihil obtineri posset: Nos
enim ea propria & ea subjecta hic consideramus, quæ præ-
ter naturalem statum etiam sunt in statu supra natu-
rali & extraordinario, in quo statu nulla sunt propria
vel subjecta in totò rerum Universo, ideoq; de communica-
tione horum priorum quæ fit in statu supra naturali, ex
regulis Philosophicis ordinarium naturæ cursum spectanti-
bus neq; potest, neq; debet judicium fieri, & optimè videtur
responderi posse ad ea, quæ ceu Gorgonis caput semper obji-
ciuntur, proprium esse, & Commune, esse, est ἀνελφα-
τίον, si propria fiunt communia, etiam subjecta fiunt
communia &c., si queramus, unde sciant Adversarij hæc
axiomata esse vera, ibi ad totam Naturam nos ablegabunt,
& inde per inductionem exempla proferre conabuntur vel
rationes, quibus hæc axiomata corroborent: Sed quid hæc
omnia ad questionem? In quâ tale quid defenditur, quod
ordinarium Naturæ cursum transcendit: Nam in per-
sonâ Christi communicari propria Disparatarum
Naturarum ob scripturam credimus, ex Naturâ id
neq; didicimus, neq; intelligimus. 3. Argumenta nulla
producere possunt ex scripturâ, quorum hæc sit conclusio. E.
Unio personalis caret communicatione reali idio-
ma-

matum. Si aliqua producunt, semper laborabunt *ἡ ἀπο-
ρίστω ἡ δὲ τὸ ἐπιδύον.* 4. Sapissimè aberrant à statu con-
troverſie, dum concludunt de talicommunicatione, qualis
nobis in mentem non venit: Ideò revocandi ad genuinum
questionis statum, ut nobis proferant argumenta, quorum
hac sit conclusio. E. Propria subjectorum *συνδεδυασμέ-
νων* non communicata, quoad communem pos-
sionem, unionem, & prædicationem. Ex his
facile conspicitur non solum quænam fundamenta sint Ad-
versariorum, quæ nostræ sententiæ obvertunt, sed etiam, ex
quibus fundamentis nostræ derivanda sint responsiones,
ideò hic nihil ulterius adjicimus: specialia enim quæ sunt
in ipso Disputationis actu assistente divino Numine, expli-
cari poterunt.

43. Septimò quærebatur. An Unio & communica-
tio differant? Afferimus nos, qui differre Unionem
à communicatione dicimus ut prius & posterius,
antecedens & consequens: Etsi autem Unio tempore
prior non sit communicatione sed in unione facta commu-
nicatio, & cum communicatione facta sit Unio, tamen or-
dine Unio communicationem antecedit, quæ illam tan-
quam consequens & tanquam ex Unione ebulliens effectus
sequitur.

44. Probamus nostram thesin 1. à Communicatio-
nis fundamento quod est Unio. Principium autem &
principiatum non sunt unum & idem. Unio personalis est
principium communicationis idiomatum; communicatio
vero principiatum. E. Assumptionem ex præcedentibus
tenemus certam, quibus talem communicationem propu-
gnavimus, quæ facta sit mediante subjectorum Unione, &
impossibile est, propria prius communicari antequam uni-
antur subjecta: Ut enim subjecta priora proprijs, ita sub-
jecto-

Quæstio-
nis Septi-
mæ.
1. Thesis.

2. Confir-
matio.

jectorum communicatio & unio antecedit *revera* priorum.

45. 2. Ab argumenti & quæstionis distinctione. Argumentum & quæstio non sunt unum idem. At communicatio idiomatum est quæstio. In quæstione ceu argumento probatur. E. Minorem probantur. 1. testimonia, quibus ex Unione communicationis idiomatum demonstrarunt, unde Regula Nazianzeni: Quæ unio talis communicatio.

46. 3. Ab Unionis reciprocatione: Quicquid semper non est reciprocum, illud distinctum ab Unione, quæ semper reciprocas parit predicationes. At communicatio idiomatum non semper est reciproca: Divina enim natura communicat suas perfectiones humane Naturæ: Humana vero suas imperfectiones non communicat divine. E.

3. Antithesis.

47. Obstant & hæc in *ἑνότητι* nobis Calviniani; Communicatio est ipsa Unio scribit Pezelius in sua Demonstrat. pag. 90. Hæc communicatio & Unio, unum & idem sunt, respondet Beza Colloq. Momp. pag. 213. Realis priorum communicatio, nihil aliud erit, quam communio & Unio, ut Naturarum ita & proprietatum utriusq; Naturæ in unâ personâ, quæ est Jesus Christus, scribit Sadeel. de Verit. Hum. Nat. p. 109.

4. Elenchus.

48. Oritur ex duplici scaturigine hic Calvinianorum error. 1. Ex falsâ Communicationis Idiomatum definitione quam supra audivimus. 2. Ex sinistra Patrum Interpretatione: Patres enim promiscuè interdum Unionis & Communicationis appellationibus usi fuerunt: Verum hi contra Samosatianos disputantes de Communicatione Naturarum loquuti sunt, quam ab Unione adeò multum non differre, nos ipsi fatemur.

49. Sit

49. *Supereſt adhuc ultima quaſtio de generibus communicationis Idiomatum; qua tali theſi comprobamus: Dicta ſcripturae de communicatione priorum, non inutili operâ in certa & potiffimum tria genera distribuuntur, quum ſic doctrina de communicatione priorum nervoſius tradi, faciliusq; poſſit*

Quaſtio-
nis octa-
va.
1. Theſis.

50. *Etiamſi doctrina de Communicatione priorum ab Antiquis Patribus, quodam ordine ſit propoſita: tamen recentiores Theologi, certamine cum Calvinianis durante, coacti ſunt diligentius in ordinem hunc inquirere, & eos tandem fecerunt profectus, ut, tribus claſſibus hanc doctrinam exactiſſimè doceri & imbui poſſe, animadverterent: Moti autem videntur duplici ratione, ut certa genera elegerint, illorum, qua per communicationem Idiomatum de Chriſto dicuntur: 1. Quia diverſiſſima ſunt praedicta: Vel enim unius Naturae proprietates de totâ perſonâ enunciatur ſecundum unam vel alteram Naturam: Vel operationes & ἀποτελέσματα toti perſonae ſecundum utramq; Naturam tribuuntur: Vel deniq; ſolius divinae Naturae proprietates & majeſtas, humana Naturae communicata, praedicatur. 2. Quia diverſa ſunt ſubjecta: Modo enim tota perſona, modo Natura humana in abstracto ſubjicitur. 3. Quia diverſa eſt Communicatio. Quaedam enim eſt reciproca ut in ἰδιωματῶν, quaedam non reciproca ut in ἐπερυψώσας & μεταδόσας.*

2. Confir-
matio.

51. *Rident hanc diſtinctionem in certa capita, Calviniani, ſed redendi ipſi, qui omnia commiſcent & confundunt, preconceptam ſuam opinionem ut defendant Rationes, quibus contra nos hic militarent mentione dignas non afferunt; ſed pleraq; ex falſâ hypotheſi procedunt, ut ijs immorari neceſſè non habeamus; concludimus ergò hic & alie-*

3. Anti-
theſis.

F rum

rum nostra Dissertationis caput, quod, quoad posteriores
questiones ex dicendis baud pa. um illustrabitur.

CAPUT III

DE CERTIS GENERIBUS COM-
MUNICATIONIS IDIOMATA-
TUM IN SPECIE.

THESIS I.

Quamvis quidem Theologorum plura Communicationis
genera, tribus constituent: tamen sequuti vestigia D.
Chemnitij, & libri Christiana concordia numero ternario
sumus contenti. Primum vocatur ἰδιοποίησις vel ἰδιοποίησις
vel communicatio priorum καὶ ἐξοχήν: Secundum
in libro concordia est communicatio ἀποτελεσμαίων & di-
citur κωμότησις. Tertium dicitur μετάδοσις, ὑπερύψωσις
vel Communicatio majestatis: Hæc distinctas complectun-
tur controversias quibus residuus nostra ἐργασίας labor erit
impendendus: Melioris ergo σαφηνείας & τάξεως χάριν in
tria hoc caput dispescemus membra, ut rectius de quolibet
genere Communicationis differatur.

MEMBRUM I.

Explicatio primi generis. 2. In primo membro occurrit prima classis illorum,
qua per Communicationem dicuntur: quæ comprehen-
dit illa Scripturæ dicta, in quibus unius vel alterius
Naturæ idiomata de totâ personâ ab alterutrâ, vel
etiam utraq; Naturâ, denominatâ prædicantur ad-
ditis interdum particulis distinctivis, ad innuendam
illam Naturam, cujus respectu hoc Idioma personæ
originaliter competit. Describi itaq; potest communi-
catio primi generis, quod sit realis & vera participatio
pro-

proprietatum utriusq; Naturæ facta personæ ex
utrisq; Naturis compositæ.

3. Hæc descriptio ut alio modo dilucidetur; certis
quibusdam Regulis indigere videmur, quia Adversarij sub
hoc genere minus rectè explicato latibula querunt, quibus
verbalem suã commur^{tionem} abscondunt: regulas itaq;
prescribimus tale. I. In primo hoc genere semper subjecti
loco est tota persona, quæ vel ab utrâq; vel ab alterutrâ
Naturâ denominatur: quæ denominatio varia, varias huic
generi inserit prædicationes: Nam subjectum modo deno-
minatur à divinâ natura, Job. 5, 19. Actor. 3, 15. 1. Cor. 2.
8. &c. modo ab humanâ Naturâ ut Matth. 9, 5. Matth.
20, 19. Luc. 28, 32. Job. 3, 13. cap. 6. 62. &c. modo ab utrâq;
Naturâ ut Act. 2, 23, 32, 33, 36. Matth. 1, 16. Joh. 8, 56.
Rom. 9, 5. 1. Cor. 10, 9. 1. Petr. 3, 18. &c. II. In primo hoc
genere prædicatum semper est Idioma alterius Naturæ,
quod interdum tribuitur subjecto ab eâ Naturâ deno-
minato, cui πρώτως & originaliter inest; ut, Filius
hominis traditur in manus gentium, Filius hominis edit,
bibit: Filius DEI facit ea, quæ videt patrem facien-
tem, &c. Aliquando tribuitur subjecto à tota Per-
sona denominato, ut Christus est ex patribus: Aliquan-
do tribuitur subjecto, cui per naturam & ἀμέσως non
inest, ut Author vite crucifixus &c. III. A quâcunq; Na-
turâ subjectum denominetur, illâ Naturâ à quâ denomi-
nata est personâ non excludenda à participatione prædica-
ti: quod uni Naturæ semper competit πρώτως & ἀμέσως
naturaliter, alteri verò δεύτερας & ἐμμέσως per Communi-
cationem, personaliter. E. g. DEUS est natus passus:
ubi nasci, pati, prædicatur de totâ personâ secun-
dum humanam Naturam, sed non excludenda Na-
tura à quâ denominata est persona in hæc prædica-
tione,

tione, quasi ea de passione, nativitate &c. nihil participaret. *IV.* Si subjectum denominatur ab illâ Naturâ cui prædicatum sive proprium $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{o}\varsigma$ inest, non excludenda altera Natura, à qua subjectum non denominatur, à participatione prædicati: E. g. Filius homo traditur, edit, bibit, hic subjectum est $\theta\epsilon\acute{o}\omega\pi\epsilon\iota$ ab una natura descriptus, sed divina natura $\theta\epsilon\acute{o}\omega\pi\epsilon\iota$ non prorsus excludatur à participatione prædicati, quod sibi per communicationem & appropriationem priavit. *V.* Particula distinctivæ non sunt $\chi\omega\epsilon\iota\sigma\iota\mu\acute{o}\varsigma$, aut $\Delta\iota\sigma\tau\epsilon\iota\sigma\iota\mu\acute{o}\varsigma$, quæ alteram Naturam à proprii prædicati participatione planè excludant, sed sunt 1. $\Delta\iota\sigma\tau\epsilon\iota\sigma\iota\mu\acute{o}\varsigma$ & $\delta\iota\omega\epsilon\iota\sigma\iota\mu\acute{o}\varsigma$ distinguentes Naturas earumq; proprietates. 2. $\sigma\upsilon\delta\epsilon\chi\iota\mu\acute{o}\varsigma$ τὸ καὶ αὐτὸ αὐτῶν monstrantes subjectum $\theta\upsilon\mu\epsilon\acute{o}\nu$ cui proprium $\pi\epsilon\acute{\omega}\tau\omega\varsigma$ & per se inest, quod subjectum alteri subjecto unitum, in causâ est, ut $\delta\delta\iota\tau\epsilon\gamma\omega\varsigma$ & καὶ ἄλλο alij quoq; subjecto tribuatur, & reverâ competat.

4. Hæc qui sedulò expenderit, facile Adversariorum argutias, quibus hîc uti consueverunt, deprehendet: Nam illi nobiscum fatentur de totâ personâ prædicari verè & realiter utriusq; Naturæ Idiomata, sed illam naturam cui Idioma per Naturam non inest semper excludunt: ut si dicatur. (Filius hominis est in cœlo stans in terrâ.) Hoc verum, dicunt esse de totâ personâ secundum naturam divinam (quod & nos dicimus) verum quando ulterius queritur, an etiam Natura à quâ subjectum denominatur, nempe humana, de prædicato participet, negant illi, affirmamus nos, propter unionem personalem & realem Idiomatum Communicationem.

Quæstio-
nis uni-
cæ.

5. Præcipua autem quæstio, quæ hoc in membro enodanda, de proprijs humana Naturæ instituitur, An illæ toti personæ ita communes, ut & divinæ Naturæ sint

sint appropriatæ per communicationem? *Responsio-*
nem nostram tali thesi includimus: λόγος & carni perso-
naliter unitus carnis ιδιώματα & πάθηματα sibi ita ap-
propriavit, ut natura divina ab horum possessione
& participatione non possit secludi, sed mediante
humana natura sibi personaliter unita de carnis na-
tivitate, passione & morte vere & realiter per com-
municationem, & ἰδιωματικῶς, participat.

1. Thesis.

6. *Evincimus hanc nostram doctrinam 1. ex illis*
prædicationibus in quibus personæ à divinâ Natu-
râ denominatæ tribuuntur πάθηματα & propria hu-
manæ Naturæ, ut Actor. 3, 15. Authorem vitæ inter-
fecistis, Actor. 20, 28. DEUS proprio sanguine re-
demit Ecclesiam, 1. Cor. 2, 8. Dominum gloriæ cru-
cifixerunt, Rom. 8, 32. DEUS proprium filium pro
nobis tradidit, Galat. 4, 4. DEUS misit filium suum
factum ex muliere, 1. Job. 1, 1. Quod fuit ab initio,
quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod
perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de
verbo vitæ. Ex his dictis sic concludimus: A quacunq;
Naturâ persona denominatur, illa neq; potest neq; debet ex-
cludi cum toti personæ aliquid tribuitur. At à naturâ di-
vinâ, persona in prædictis prædicationibus denominatur. E.
Propositio his suffulta est fundamentis: 1. Quia nulla
alia ratio proferri potest, cur scriptura personam modo ab
hâc, modo ab alterâ naturâ denominet, nisi, ut innuatur
propter personæ unitatem, utraq; naturas, participare de
suis proprijs. Si dicas fieri ob unitatem personæ, concede
etiam ob unitatem personæ illi naturæ convenire prædica-
tum, à quâ personâ denominatur, cum ipsi aliquid tribui-
tur. 2. Scriptura quando personam ab unâ naturâ deno-
minat, illi naturæ expressis verbis prædicata tribuit, ut ex

2. Confir-
matio.

scriptura dictis videre licet; quod si nihilominus natura illa à predicato est semovenda, scriptura vera non erit, quod autem hoc fiat per ἀλλοίωσιν, per tropum, Synecdochen vel nominis permutationem, probari debet: Nos manemus in literâ quâ de DEO propria humana enunciantur, & cum ex alijs scriptura dictis constat, hæc predicata DEO essentialiter attribui non posse, dicimus nos id fieri personaliter, propter naturarum & priorum realem ἁπλοῦς.

7. 2. Ex Communicatione humanæ Naturæ: Quæcumq; natura divina particeps est Naturæ humane, illa & priorum. At Natura divina Filij particeps est natura humane, Hebr, 2, 4. Job. 1, 14. E. Majorem concedunt ipsi adversarij, qui communicatis naturis communicari propria, hætenus negare ausi non fuerunt.

8. 3. Ex ταυτότητι Personæ, quam nobiscum confitentur Adversarij: Quicquid autem toti personæ tribuitur, illud non restringendum ad humanam naturam tantum, ut divina inde nihil participet. At πᾶσι μετέσθαι & propria carnis toti personæ tribuuntur. E. Major probatur, quia humana natura non est persona, sed suam subsistentiam accepit à λόγῳ: Si itaq; toti personæ aliquid tribuendum, etiam illa natura non excludenda. quâ remotâ, nulla amplius in Christo esset persona.

9. 4. Ex passionis & mortis Christi efficacia: Quæcumq; passio & mors infinitum producit effectum ad finitam naturam restringi nequit. At Christi passio & mors infinitum producit effectum. E. Major per se est evidens, cum nulla causa agat ultra suas vires. Minorem opera nostræ Redemptionis, ut satisfactio pro omnium hominum peccatis, placatio Infinitæ Justitiæ, devotio mortis & Sathanæ &c. evincunt. Si excipere velint
Ad-

Adversarij mortem & passionem producere infinitum effectum, quia ∞ sustentaverit carnem ne succumberet sed vinceret; Resp. Hoc non sufficere quia & multorum martyrum Natura in suis passionibus sunt sustentata, quae tamen effectum infinitum producere non potuerunt.

10. Antithesis Adversariorum in hac quaestione, ex dictis facile cognoscitur: Totam enim personam in his praedicationibus subiecti loco positam esse, nobiscum fateri illos, audivimus, verum à participatione priorum humanorum imprimis passionis & mortis. Secludunt divinam naturam: Legatur Danæus in Exam. Chemnit. ad c. 16. pag. m. 321. Beza in Colloq. Mompel. de Pers. Christi Antith. 1. pag. 213. & integra ejus Epistola quae est numero 60. Volum. 3. p. 273.

3. Antithesis.

11. In hoc erroris barathrum praecipites Calviniani ruunt, seducti, 1. DEI Impossibilitate, quam non admittere putant, ut ullo modo DEUS passionis & mortis dicatur particeps. 2. Particulis distinctivis, in hoc genere Communicationis consuetis. Quibus nos opponimus. 1. Distinctionem inter actum naturalem & personalem, supra evictam. DEUS actu naturali in sua natura & essentia semper manet impassibilis &c. sed non actu personali, quo DEUS patitur in sua carne cui communicavit suam personam. 2. Regulam 6. Superius thesi. 3. Propositam.

4. Elenchus.

12. His ita stantibus in fumos abeunt, quae de Synecdoche & Tropo hic garriunt Adversarij, procedunt enim omnia ex eo fundamento, Christum non passum Deitate sed carne, ideoque per Synecdochen DEO passionem saltem tribui. Praeterquam haec ex dictis possint refelli, notamus adhuc duo. 1. Nulla Synecdoche per unam partem notat alteram partem, ut Calviniani per divinam naturam volunt notari alteram partem personae videlicet humanam naturam;

ram; sed Synecdoche per partem semper notat totum.
2. Distinguendum inter principium, quod & principium
quo: Illud est tota persona. Hoc est natura, quæ recipit
passionem, per se & immediate, vide si vis P Meisn. part.
2. Philos. Sob. Sect. I. cap. 5. q. 12.

MEMBRUM II.

13. Primò jam enodato Communicationis generi, qui-
dam haud inconcinne, illud subjungunt, cui nos tertium lo-
cum assignavimus: quia ordinem naturæ intendentes
prius divina & infinita dona, viderunt, debuisse carni
Christi communicari, quàm ad participationem $\delta\pi\sigma\tau\epsilon\lambda\epsilon\sigma\mu\acute{\alpha}\tau\omega\nu$
possit succurrere, verum cum tertium genus pro-
lixorem ventilationem requirat, librum Christiana con-
cordia, imitari constituimus. Cum, hac ordinis differen-
tia nullum per se Rerum & sententiarum subinferre queat
dissonantiam.

Explica-
tio se-
cundi ge-
neris,

14. Progredimur itaq; ad illud genus, quod $\kappa\epsilon\iota\nu\omega\pi\acute{\iota}\eta\sigma\iota\nu$
& communicationem operationum appellant, & funda-
tur in illis scripturæ dictis in quibus toti personæ
tales operationes, & effectus tribuuntur, quæ ad
Christi officium vel nobis parta beneficia spectant:
Poteest autem ita communicatio in hoc genere describi, quod
sit realis participatio operationum utriusq; Na-
turæ ita, ut juxta Regulam Concilij Chalcedonensis,
utraq; natura agat, quod suum est cum communica-
tione alterius.

15. Declaramus hanc descriptionem per sequentes
Regulas. 1. Classis prædictarum prædicationum, ubi vis in
Sacra scripturâ occurrentium, refertur ad Communica-
tionem, non $\acute{\alpha}\ \omega\lambda\acute{\omega}\varsigma$ & simpliciter, sed $\kappa\epsilon\iota$ η & secundum
quid, quatenus in effectis & operationibus Christo attri-
butis,

rant ἐνεργείας, & quod sibi proprium est, sed etiam, unaquælibet de propria sua ἐνεργεία communicet alteri Naturæ, ita, ut Divina. Actiones humanæ Naturæ proprias sibi appropriet, & humanæ Naturæ sibi proprias actiones rursus com.unicet.

2. Confir-
matio.

18. Confirmationis loco ceu arietē primo loco producimus Scripturæ dicta ex quibus colligitur in producendis ἀποτελέσμασι seu actionibus beneficia Christi procedentibus, utramq; Naturam ita agere cum communicatione alterius, prout explicavimus: Talia sunt, Act. 20, 28. Regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit proprio suo sanguine, Rom. 5, 10. Reconciliati sumus DEO per mortem filij eius, 1. Joh. 1, 7. Sanguis Jesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. Ex his fluit argumentum tale. Quicquid Christus efficit ut 1. DEUS sanguinem fundens, 2. ut filius DEI, qui moritur, 3. ut filius DEI proprio sanguine præditus illud efficit, per communicationem ἐνεργείων in suis Naturis. At prius de ἀποτελέσμασι & operationibus officij Mediatoris est verum ex dictis. E. & posterius. Connexio Majoris illa est, quod παθήματα humana non nisi per communicationem propriorum divina Natura attribui possint.

19. Alterum argumentum ipsa ἀποτελέσματα connectunt, que ita sunt comparata, ut non possint affirmari nisi secundum utramq; Naturam κεινωσίαν ἐνεργείων obtinentem: Talia sunt. (Vulnerari & atteri propter peccata hominum & livore suo sanare, Esa. 53, 5. Pro peccato animam ponere, c. 53, 10. Sanguine redimere Ecclesiam, Act. 20, 28, Mori pro omnibus, 2. Cor. 5, 15. Corpore reconciliare, Coloss. 1, 22. Pro omnibus gustare mortem, Hebr. 2, 9. Per mortem destruere eum qui mortis habebat imperium, cap. 2, 15. Sanguine emun-

emundare à peccatis, 1. Job. 1, 8. Corpore perferre peccata hominum, 1. Pet. 2, 24. Hæc in tali formâ possunt proponi: Quæcunq̄ ἐνεργήματα non à solo Homine, neq̄ à solo DEO possunt produci sed tantum à Θεανθρώπῳ, requirunt communicatas ἐνεργείας. At ἀποτελέσματα superius enumerata sunt talia ἐνεργήματα. E. Propositionem confirmamus ex eo, quemadmodum Θεάνθρωπος per Communicationem Naturarum est talis, ita & Θεανθρώπος actione Θεανδρείῳ per κοινωνίαν hujusmodi esse intelliguntur,

20. Tertio expendi petimus illa dicta, in quibus ἀποτελέσματα Christo modò juxta humanam modò juxta divinam Naturam adscribuntur: ut Reconciliatio Christo tribuitur secundum divinam naturam, Rom. 5, 10. secundum humanam, Col. 1, 22. de vincere Diabolum, tribuitur Christo secundum humanam Naturam, Gen. 3, 15. secundum divinam verò, 1. Joban. 3, 8. Salvatio hominum tributa ei legitur ut DEO, Esa. 35, 4. ut Homini verò Luc. 9, 56. Ex his fluit hujusmodi ἀλογισμός: Quæcunq̄ actio juxta humanam & divinam Naturam Christo competit, illam vel ita exeruit Christus, ut saltem qualibet egerit sibi naturalia, vel ita, ut Natura egerit cum alterius Communicatione. Non prius: quia nulla naturarum agendo saltem sibi propria efficere potest ἀποτελέσματα. E. Posterius.

21. Quarto finem Incarnationis subjungimus, quem officij Christi executionem & totalem absolutionem fuisse, extra dubitationis ponimus aleam cum Christus propterea factus homo, ut possit esse, Mediator, Redemptor & Salvator noster, quod si vero in officij operibus qualibet natura saltem agit sibi propria, Incarnatione opus non fuisse ita ostendo. Quicquid possunt producere Natura agendo saltem suas proprias ἐνεργείας, illud potuisset expediri absq̄ Incarnatione Filij DEI. At officij effecta juxta Calvinianos possunt produci à Naturis agentibus saltem naturales



suas ἐνεργείας. E. Conclusio est contraria toti Scripturae & omnibus orthodoxis patribus. E. talis vel Propositio, vel Assumptio. Non illa, quia si nuda hominis Nativitas, passio, mors, quibus de divina nihil participat, producere potuissent reparationem salutis humanae nonne id fieri potuisset in nudo homine? Sic si sola sustentatio, sola majestas, sola virtus divina sufficere potuisset ad edenda ὑποτελεσµατῶν, nonne ὁ λόγος ἀσάρκων atq; ἐνοσάρκων, illa praeSTAR potuisset. Relinquitur ergo quod Assumptio Calviniana Scripturae & veneranda Antiquitati repugnat.

22. Quinto concedunt ipsi Calviniani, quod ὑποτελεσµα tantum unum à persona producatetur ex distinctis ἐνεργείαις distinctarum Naturarum: Hinc argumentamur: Distinctae ἐνεργείαι Naturarum, aut manent solum distinctae, aut etiam ad unitatem quandam rediguntur: Si prius non ostendi poterit, quomodo vel una persona operetur vel unum ὑποτελεσµα exeratur: Si posterius; communicationem concedere coguntur Adversarij, alias ostendere non poterunt; quomodo ἐνεργείαι ad unitatem & ad unum ὑποτελεσµα reducantur. Si dixerint; Uniri ἐνεργείαις naturarum in personam principium petunt; Nam hoc quaerimus, per quid uniantur in unam personam distinctae actiones, si manent distinctae & carent omni communicatione, non apparet, quomodo in unam personam uniantur.

23. His omnibus addi possunt illa argumenta, quibus membro ultimo demonstrabitur: Humanam naturam multa agere supra naturales vires; unde evidentissimè elucescit, unam naturam participare de alterius actione.

3. Antithesis.

24. Calvinianorum de hac questione sententiam supra attigimus, & dissentiunt illi à nobis semper in eo, quod totis viribus negant, Naturas agere ultra naturales vires, & contra mordicè defendunt: Humanam naturam

αὐθγα-

αὐθροπίνως, divinam tantum θεῶς operari, neq; ἐνεργείας inter se participare: vide Bezam, in Colloq. Momp. pag. 275. Danæum in Exam. Chemnit. ad cap. 17. p. 322. Martinium in defensione Sadeelis pag. 91. Argumenta illorum maximâ ex partè ad subsequentem spectant ἐργασίαν, plurima ex fundamentis supra protrit is educuntur: ideò illorum consideratione hic supersedentes, alteri quoq; hujus capit is membro finem imponimus.

MEMBRUM III.

25. *In tertio genere amplissimus sese aperit differendi campus, quippe controversie à Calvinianis motæ, & hactenus discussæ, ad quæstiones hoc loco obvias ceu scopum & metam intenduntur: Nos consuetis procedentes limitibus, primò θεωρίαν generalem præmittemus, unius alteriusvè quæstionis evolutionem submissuri.*

26. *Communicatio in hoc genere occurrens modò ἰπερύψωσις, modò θείωσις modò μετὰδοσις modò βελτίωσις, ab antiquitate indigetatur, & est talis participatio, quâ λόγος suam maiestatem gloriam & infinita sua dona humanæ Naturæ personaliter sibi unitæ verè impertit & communicat, absq; ulla proprietatum effusione, exæquatione & abolitione.*

Explicatio tertij generis.

27. *Subnectimus huic definitioni dilucidationis ergò has observationes. I. Propositiones in hac classè propria habent ἀποκρίματα quibus ab illis de quibus, prioribus in generibus actum fuit, distinguuntur: Nam in hoc genere 1. tantum divinæ naturæ propria enunciantur de Christo, 2. loco subjecti sepè ponitur abstractum naturæ, seu nomen Naturæ, ut sanguis, humanitas, caro &c. 3. Particulæ distinctivæ ostendunt naturam, cui prædicatum seu divina Majestas & gloria est communicata. II. In hoc genere non*

est talis reciprocatio, quâ ut divina Natura perfectiones impertiuntur humana Natura, ita humana Nature imbecillitates communicarentur Deitati: Nam divina Natura non potest ita in inferiorem statum deprimi, quemadmodum humana in superiorem potest evehi atq; extolli.

III. Quemadmodum ab opere Incarnationis non est excludendus Pater & Spiritus S. ita etiam communicatio divina majestatis est opus totius Trinitatis, sed quemadmodum alia Trinitatis opera ad extrâ, ita etiam hoc ad certam personam determinatur: cum ergo una sit divinitas implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus S., sed majestate, non susceptione, ut loquitur cum Augustino, D. Mentz. Disp. 3. T. 1. Giesl. th. 21.

Quaestio-
num pro-
positio. 28. His generali *ἰερωεῖα* praecognitis, tres discutien-
das proponimus quaestiones. 1. An praeter creata dona
habitualia Christo secundum Humanitatem in tem-
pore data sint dona increata & infinita? 2. An ea,
quæ Christo in tempore sunt data, juxta humanam
naturam data sint? 3. An Dicta quædam in quibus
divina *ἰδιώματα* Christo tribuuntur ita possint expo-
ni, ut probetur ex illis, Christum in tempore acce-
pisse illa *ἰδιώματα* secundum humanam Naturam?

Quaestio-
nis pri-
mæ. 29. De priori quaestione talem edimus confessionem:
1. Thesis. Filius DEI assumendo naturam humanam in suam
hypostasim illi infinita & increata communicavit
dona, quæ nulli creaturæ extra personam infinitam
subsistenti convenire possunt.

2. Confir-
matio. 30. Veritas hujus assertionis eruitur 1. ex Dictis
Scripturæ infinita dona generatim innuentibus ut
*Psal. 4, 5, 8. Unxit te DEUS, DEUS tuus oleo læti-
tiæ præ consortibus tuis: quæ verba ad Christum ap-
plicantur, Hebr. 1, 8. Item, Coloss. 2, 9. In ipso inhabitat
omnis*

omnis plenitudo divinitatis corporaliter. In his dictis præsupponimus Christum esse unctum secundum humanam naturam (cum divina non sit uncta sed ungens) & inhabitationem totius plenitudinis Deitatis pertinere ad humanam naturam: cum divina natura ab alia divinitate non inhabitetur. Sic ergo concludimus: Quæcunq; natura ungitur præ consortibus oleo lætitiæ & inhabitatur totâ plenitudine Divinitatis, illa particeps est donorum infinitorum. At natura humana Christi est talis. E. Propositio quoad primum membrum videtur indigere probatione, quam facile dabimus, si notetur, 1. oleum lætitiæ designare Spiritum S. Esa. 61, 1. qui datus Christo sine mensurâ, Job. 3, 35, quicquid autem immensè datum, illud finitum esse nequit. 2. Unctionem hîc notare unctorem, in quâ Christus consortes habebit, si dona finita saltem quis intelligat. Posterioris membri in propositione corroborationem qui desiderat legere illam potest apud Chemnit. lib. de D. N. c. 24. p. m. 130. & ap. Mentzerum 2. in Antimart. pag. 492.

31. 2. Ex Communicatione Hypostaseos divinæ: Cuicunq; enim hypostasis Filij DEI communicatur, illi communicatur proprium quoddam infinitum & increatum. At humane Nature Christi Hypostasis Filij DEI est communicata. E.

32. 3. Ex differentiâ inhabitationis λόγος in sanctis & Inhabitationis in propria carne: Quæcunq; Inhabitatio fit per dona saltem finita, illa vel nihil vel saltem secundum gradus differt ab inhabitatione Filij DEI in sanctis atq; credentibus. At inhabitatio λόγος in carne toto genere & non tantum secundum gradus differt ab inhabitatione in sanctis. E.

33. 4. Ex officijs Christi. Extra controversiam
enim

enim est positum, actiones, ad officium Christi pertinentes non esse merè humanas neq; negare possunt Calviniani, actiones officij competere Christo juxta utramq; & sic etiam juxta humanam Naturam. Unde argumentamur: Secundum quam Naturam Christo tribuuntur actiones officij, secundum eam tribuuntur ἐνεργηματα non merè finita & humana, sed etiam infinita & divina. At secundum humanam naturam Christo tribuuntur actiones officij. E.

34. 5. Ex Dictis illis in quibus asseritur, Idiomata divina & alia dona soli DEO propria, Christo data esse: Quod argumentum primum est in hac questione & infra fusius in enodatione tertiae questionis explanabitur. Adde illis, quae dicta sunt, testimonia veteris Ecclesiae congesta à D. Chemn. d. l. c. 21. & 25.

3. Anti-
thesis.

35. Calviniani primam questionem perpetuo negant, & carni Christi saltem dona habitualia creata & finita, qualia creaturae possunt competere, attribuunt: Fundamenta illorum potissima haec reperiuntur. 1. Finitum non esse capax Infiniti. 2. DEUM suam gloriam non dare alteri, Esa. 42, 8. 3. Infinita ἰδιώματα Divinitatis non posse communicari absq; exaequatione, confusione & Eutychianismi defensione. 4. Hominem fore DEUM nec amplius manere, hominem. 5. Idiomata Divinitatis esse toti Trinitati propria & essentialia, quae communicari nequeant carni, nisi totam Trinitatem dicere velimus incarnatam. 6. Uno Idiomate communicato omnia forent communicata & sic etiam aeternam & infinitam fore carnem, vide Bezam in Colloq. Mompelg. p. 221. 247. 262. 365. 271. Anthon. Sadeel. de Verit. Hum. Nat. c. 3. arg. 1. & 9. & inferius ubi disputat contra Real. Commun. Idiom. Danæum in Exam. Chem-

Chemnit. ad p. 14. li. 8. seqq. & ad cap. 21. Polanium
lib. 6. c. 16. Syntagm Theol. Martinium in Exam.
Spicar. pag. 26. & c.

36. Responsio^{us} & refutationis fundamenta ita pos-
sunt exstrui. I. Primarium argumentum nostrum quo The-
sin allatam confirmamus in illis latet dictis, que infra ad-
ducentur. ^{de se} ^{positis alijs} ^{Rationis argutijs}, in verum
dicentium sensum inquirere tenentur Adversarij,
quod si ex illis probari poterit, humana Natura collata esse
dona verè divina & increata, acquiescat Christianus ani-
mus in scriptura prescripto, si vel maximè non percipiat,
quomodo finitum sit capax infiniti? quomodo hæc communi-
catio absq; confusione vel exæquatione &c. fieri possit?
II. Finitum non esse capax infiniti suadet ratio ordinem
Naturæ usitatum sequuta, dissuadet personalis Unio singu-
lari & extraordinariâ DEI actione producta. III. In
Dicto Esa. 42, 8. non nisi ea excluduntur, quæ neq; de per-
sonâ neq; de essentiâ divinâ participant, aliâs scripturam
cum scripturâ committeremus, quippè inferius videbimus
gloriam DEI Christo juxta humanam Naturam esse dona-
tam. IV. Confusionem priorum & Eutychianismum
nobis objicere non poterunt, qui ex precedenti capite no-
stram de Communicatione priorum sententiam intel-
lexerunt. Ab exæquatione autem tam diu erimus tuti,
quamdiu infinitum manet discrimen inter id quod est
per naturam, πρῶτως & immediatè in subjecto: &
inter id quod est per Unionis gratiam, δευτέρως & me-
diante alio in aliquo subjecto. V. Homo est DEus per-
sonaliter, Humana Natura non est DEus sed Deificata, quia
enim Idiomatica divina Humana Natura saltem καὶ ἐνωσιν
insunt, & non ἕ φῶσιν, predicantur & idiomatica, & Na-
tura divina de Homine Christo Paronymicè non Syno-

4. Elen-
chus.

H

ny-



nymicè. VI. Ut Divina Natura non ἀπλῶς sed ἡλικῶς
certo caractere notata est carni unita; ita & idiomata
genita, non gignentia vel procedentia sunt commu-
nicata. VII. Nos ea Idiomata communicata asserimus, in
quibus scripturam habemus præviam, quæ autem omnium
idiomatum communicatio sit necessaria nemo facile affir-
mabit, qui noverit: Quædam Idiomata sua ἐνεργητικῶς intra
DEI essentiam retinere; Quædam vero suis operationibus
ad extra in Naturâ assumptâ vel alijs Creaturis progredi.

37. Antequam ad specialem infinitorum donorum
Communicationem progrediamur, adhuc aliam præmitte-
re placuit questionem, cujus resolutio in sequenti contro-
versia nobis erit usui. Queritur itaq; secundo: An ea
quæ Christo in tempore sint data, secundum huma-
nam Naturam data sint: Responsionem nostram hæc Thesis
prodimus: Omnia illa quæ vel idiomata sunt divi-
na, vel alia dona, quibus Christo exaltatio & βελ-
τιώσις quædam causata est, toti personæ tribuuntur
secundum humanam Naturam, si in tempore Chri-
sto data in scripturâ dicuntur.

2. Confir- 38. Immota manet hæc Thesis per argumenta quæ
matio. sequuntur: 1. Secundum quam Naturam Christus ita est
ἀωταρχὴς & τέλειος ut nullis dignitatibus in tempore con-
ferendis indigeat, secundum illam in tempore nulla digni-
tas & βελτιώσις Christo dari potest. At secundum divinam
Naturam Christus est ita ἀωταρχὴς &c. E. Minorem confir-
mant hæc scripturæ oracula, Johan. 16, 15. cap. 17, 5. Actor.
17, 24, 25.

39. 2. Quæcumq; Natura est immutabilis, illi nihil
donari potest, quod illam perficiat & sublimiorem faciat.
At Natura divina est immutabilis. E. & per consequens ea,
quæ in tempore data est βελτιώσις secundum divinam dari

1807

non potuit naturam. Assumptionem expressis verbis legimus, Psal. 102, 26, 27. Mal. 3, 5. Jac, 1, 19.

40. 3. Quaecumq; natura non solum potuit perfici, sed etiam indiga fuit $\delta\omega\varsigma\omega\nu$ infinitorum, secundum illam dignitates quadam Christo in tempore sunt collatae; At Natura humana non solum potuit perfici, sed etiam indiguit &c. E. Mir^r est evidens ex officio Christi Sacerdotali, & Regio, α qua officia humana Natura non potuisset adhiberi, nisi sublimiori honore à $\delta\epsilon\upsilon\omega$ esset decorata.

41. 4. Scriptura sapius, quando de illis qua in tempore data sunt loquitur, Naturam humanam vel per manifesta verba vel per circumstantiam quandam denotat, uti infra in $\epsilon\zeta\epsilon\tau\epsilon\omicron\delta$ tertiae questionis elucescet. His omnibus adjicimus consensum venerandae matris Ecclesiae: quae comprobat illam Regulam Leonis, Epist. 81. ad Palaestin. Quicquid in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit, cui, quae non habuit, conferuntur. Quomodo huic effato plurimi ex venerandis Patribus adstipulentur, fusissimè ex Antiquitate monstravit, Chemnit. l. de D.N.c. 25. & Schröder, in Throno Reg. part. 4. c. 7. p. 314. seqq.

42. Antagonista nostri dissidentes in hac questione 3. Antithesis. fovent sententias; Quidam enim ex illis, nobis sunt planè $\omicron\mu\omicron\psi\eta\phi\omicron\iota$ ut Danæus in Exam. Chemnit. ad cap. 20. p. 361. Edit. Genev. Anno 81. Beza in Resp. ad Acta Colloq. Mompelg. part. 1. p. 137. 144. seqq. Alij autem qui thesi nostrae sese opponunt distinctissimas proferunt Antitheses: Quidam dicunt, posse etiam secundum divinam Naturam aliquid Christo dari, ut ipsi data est humana Natura quam assumpsit, datur officium, datur Laus honor & gloria. Polanus in Syntagm. lib. 6. cap. 22. Quidam dicunt, divina Natura posse in tempore aliquid dari

non in sese sed κατ' ὀνόματι & secundum dispensationem,
quā λόγος suam majestatem in statu ex inanitionis occul-
tavit, ita & etiam exaltatus fuit, Polanus d. loco c. 26.
Antonius Sadeel. lib. de Verit. Humanæ Nat. c. 4. in
Resp. ad obj. 5. ita scribit p. m. 123. Quandoquidem
Christus dicitur accipere, non quatenus est ὁ λόγος,
sed quatenus λόγος Naturam nostrā assumpsit. Et ita
intelligo, quod dicit Theodoretus; illa dici propter
humanitatem, i. e. propterea quod ὁ λόγος humanam
Naturam assumpsit. Quidam dicta illa qua de datis do-
nis in tempore loquuntur per manifestationem vel ut
alii volunt, per restitutionem explicant, ut sit sensus:
Hæc vel illa dona quæ antea occultavi & deposui
mihi sunt restituta, & jam manifestum fit me eadem
obtinuisse. Sunt deinde alij, qui precedentibus videri vo-
lunt subtiliores, & Christo secundum utramq; Naturam ali-
quid in tempore datum statuunt, sed alio modo secundum
Deitatem, alio secundum humanitatem: Sohnius in
Exeg. A. C. p. 255. edit Sigen. Anno 98.

43. Contra hæc Adversariorum nugamenta notari
petimus. I. Dissensionem Fratrum Cadmeâ pugnâ se
mutuò perimentium, utcumq; enim has opinionum varia-
tes conciliare conatus fueris, tamen Disconvenientiam non
sustuleris. II. Verum quæstionis statum: Non enim
de quavis donatione hoc loco queritur, sed tantum de illâ
quâ aliqua dignitas & excellentia Christo est collata, quod
juxta divinam Naturam intelligi non potest, quippè illa di-
gniore & excellentiore statum in tempore non acquirit.
III. Veram resolutionem predicationum de Christo,
quam semper sic oportet esse institutam, ut habeatur re-
spectus ad utramq; vel alterutram Naturam: Non enim
sufficit si hoc vel illud dicatur de Christo ratione personæ, sic

us

ut acquiescendum, & querendum ulterius non sit, secundum quam Naturam istud intelligendum. Rationes hujus αἰαλόσεως validissimas protulit Dn. Schröderus in Thr. Reg. part. 4. c. 1. IV. Naturam illam cui aliquid restituitur & in qua aliquid manifestatur; qua non est divina, sed humana, in hac enim non in illa Christum fuisse exinanitum alibi probatur: Manifestatio autem & Restitutio seu patefactio gloria respicit antegressam exinanitionem. Præterea multa sunt dicta, qua de reali donatione loquuntur, & non possunt de restitutione & patefactione accipi, Matth. 11, 27. Job. 3, 35. c. 17, 2. quæ omnia & similia in ipso Exinanitionis statu Christus de se affirmavit. V. Verum sensum dictorum, in quibus Christo aliquid datum legitur, de quo cum principalis controversia sit status tertiam questionem adjicimus.

44. Queritur idcirco de dictis in quibus vel divina idiomatica vel alia dona infinita Christo donata & attributa legimus; An illa hunc sensum admittant, Christo secundum humanam Naturam communicata esse dona infinita & increata, & Respondemus nos affirmative, innixi literali Dictorum sensu, quem qui retinent, ex illis Dictis invictè possunt obtinere, majestatem verè infinitam & increatam carni Christi esse communicatam. Ut autem probatio hujus rei sit evidentior: distinctis classibus Dicta proferemus, & in unaquavis classe duo evincemus. 1. In Dictis citatis agi de eo quod est inspiritum, increatum Deo quæ proprium. 2. Increata dona tribui Christo secundum humanam Naturam.

Quæstio-
nis ter-
tiæ.
1. Thesis.

CLASSIS. I.
DE DICTIS QUÆ AGUNT DE
GLORIA ET MAJESTATE
DIVINA IN GENERE.

H 3

45. In

2. Confir-
matio.
&
Elenchus

45. In acie itaq; ponimus dicta, qua Christo gloriam
quandam increatam tribuunt, de qua legimus, Matth. 16,
27. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui
cum Angelis suis, c. 24, 30. Filium hominis venien-
tem in nubibus cum virtute magna & maiestate,
c. 25, 31. Cum autem venerit filius hominis in maje-
state sua, &c. Job. 17, 5. Et nunc clarifica me tu pater
apud teipsum claritate, quam habui priusquam mundus
fieret apud te, Psal. 8, 6. Hebr. 2, 7. gloria & honore coro-
nasti eum, Apocal. 5, 12. Dignus est Agnus qui occi-
sus est accipere, virtutem & divitias, & sapientiam &
fortitudinem & honorem: & gloriam & benedictionem.

46. In his dictis designari gloriam infinitam &
increatam facile probamus, quia audimus de gloria 1. Pa-
tris. 2. Judicis venientis in extremo iudicio, quem glo-
ria finita & creata venturum tota scriptura negat. 3. A-
ternam quam habuit filius ab aeterno apud Patrem. Porro
hanc infinitam gloriam datam esse Christo secundum hu-
manam Naturam, itidem ex dictis evidentissimum est,
quia 1. agitur de gloria qua Christo data in tempore quippe
illam in tempore petit, & post statum exinanitionis illi col-
latam esse ex Psalm. 8, 6. colligitur: Quae autem in tempo-
re data, Christo secundum humanam naturam data sunt.
uti superius evicimus. 2. Humana Natura per filium Ho-
minis & Agnum occisum aperte notatur.

47. Antagonista haec nobis objiciunt 1. Christum
non posse glorificari juxta humanam Naturam
aeternam gloriam, cum natura humana aeterna non sit.
2. Petere Christum gloriam quam post ascensionem
in sessione ad dextram DEI accepit, dici autem il-
lam aeternam quia ab aeterno ad eam fuit praedesti-
natus, vide Sadeel, lib. de Ver. H. Nat. c. 4. in Resp.
ad

ad Locum 3. pag. 174. Martinium in Defens. Sadecl.
p. 166. Polanum in Syntag. Theol. l. 2. c. 31.

48. Resp. 1. Divina natura neq; per se neq; propter
humanam Naturam accipit gloriam eternam, quia ab
aterno habuit, neq; in se illam occultavit, neq; eam unquam
caruit: Si autem in carne manifestata est gloria, neceſſe est
ut carni quoq; fuerit communicata. 2. Ut eterna Persona
humanae Christi Natura communicata non facit Naturam
eternam ita nec gloria. 3. Si vel maxime de gloria eam haec
Dicta accipis, quae in sessione ad dextram DEI Christo colla-
ta est, tamen ex scripturis (non ex rationis nugamentis,
quae leguntur apud Polanum) probare debes, gloriam in
sessione ad dextram DEI esse finitam.

CLASSIS II.

DE DICTIS OMNIPOTENTIAM ET UNIVERSALE DOMINIUM EXPRIMENTIBUS.

49. Dicta quae loquuntur de παντοκρατορια & παν-
τοξοοτητα, desumuntur ex Psal. 2, 8. Dabo tibi possessio-
nem tuam terminos terra, Psal. 8, 7. Hebr. 2, 8. Et con-
stituiſti eum super opera manuum tuarum. Omnia
subjecisti sub pedibus ejus, Psal. 72, 5. Dominabitur a
mari usq; ad mare & a flumine usq; ad terminos orbis
terrarum, Dan. 7, 14. Et dedit ei potestatem & honorem
& regnum &c. Potestas ejus aeterna quae non aufere-
tur &c. Matth. 28, 18. Data est mihi omnis potestas in
caelo & in terra, c. 11, 27. Omnia mihi tradita sunt a pa-
tre meo, Job. 17, 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis car-
nis, Rom. 14, 9. In hoc Christus mortuus est & resur-
rexit & revixit, ut mortuis ac viventibus dominetur,
2. Cor. 15, 27. Eph. 1, 22. Omnia subjecit sub pedes illius.

Cum

Cum his dictis cognationem habent omnia illa, quae de Christi exaltatione & sessione ad dextram DEI loquuntur, verum de illis alibi forsitan agemus commodius.

50. In allatis dictis duo illa sunt evidentia, quae in priori Classe similiter evicta sunt: Nam primò hic divinam increatam potentiam intelligi ostendit 1. Potentiæ latitudo, quae se extendit per totum mundum. Talis autem potentia soli DEO adscribitur, 1. Paralip. 29, 11. Psalm. 103, 19. neq; monstrari potest potentia finita cui omnes termini terræ, & præcisè omnia in cælo & in terrâ sint subiecta. 2. Potentiæ effectus, videlicet dominium super omnia, quale dominium potestati finitæ posse competere, nondum demonstrare potuerunt Calviniani. 3. Potentiæ adiunctum, quod Dan. 7. est aternitas, æternam a. potestatem esse finitam & creatam, hætenus inauditum est in Ecclesiâ. Certum itaq; est primò de potentiâ infinitâ scripturam in citatis locis agere; Deindè quod hanc potestatem Christo, secundum humanam Naturam tribuant allata dicta; patet, 1. ex postulatione hujus potentiæ, quae præcipitur filio, Psalm. 2. Juxta divinam autem Naturam, cum potestatem gubernandi omnia filius ab æterno habeat, petere & postulare illam non potest. 2. Ex notatione temporis. Cum quaedam dicta præmittant statum Exinanitionis ut Psalm. 8, 6. Hebr. 2, 7. Roman. 14, 9. Cum quibus possunt conferri ea, quae exprimunt tempus Exaltationis, quo plena usurpatio hujus potestatis collata legitur, Ephes. 1, 20. seqq. Phil. 2, 9. Hebr. 2, 9. 3. Ex notatione humanæ Naturæ, hæc enim indigetatur, Dan. 7. & illis dictis quibus vel pedum, vel passionis vel mortis & Exinanitionis totius, sive in antecedentibus, sive in consequentibus, sive etiam in ipsis dictis, fit mentio.

51. Calviniani regerunt 1. omnem potestatem Christo
in

in tempore datam, esse planè diversam ab eâ potestate, qua
 in DEO essentialis est, & nihil aliud esse quàm secundum
 DEUM potestatem in omnibus rebus creatis admi-
 nistrandis. Beza in Colloq. Momp. pag. 278. & 285.
 2. Distinguerem esse inter πᾶσαν δύναμιν & πᾶσαν ἐξουσίαν:
 Illam esse πᾶντοκράτειαν & proprietatem DEI essentialem,
 hanc verò saltem esse licentiam & auctoritatem regendi
 Angelos, colligendi Ecclesiam, depellendi Sathanam &c.
 Polanus in Synt. Theolog. l. 6. cap. 27. p. m. 428.
 3. Dicta prolata loqui de Θεωθρώπῳ in concreto, non verò
 de humanâ Naturâ in abstracto. Sadeel. de V. Hum. Nat.
 c. 4. in Resp. ad Loc. 2. p. 2. 165. seqq.

52. Respondemus 1. superius demonstravisse nos, in
 dictis non nisi infinitam potestatem posse intelligi, contra-
 rium qui cupit probare, ex scripturâ tenetur proferre ur-
 gentes rationes. 2. Discrimen inter δύναμιν & ἐξουσίαν
 non est perpetuum, conjunguntur enim ille voces, Luc. 4,
 36. 9, 1. Imò ἐξουσία interdum plus est quàm δύναμις ut
 Luc. 10, 19. Et præterea supra δύναμιν & ἐξουσίαν Christum
 esse exaltatum legimus, Eph. 1, 20, 21. 1. Pet. 3, 22. 3. Dicta
 quæ citavimus loqui de totâ personâ concedimus, verùm
 naturam juxta quam de persona hæc omnia dicantur, simul
 exprimi & notari volumus.

CLASSIS III.

DE DICTIS OMNISCIENTIAM CARNIS CHRISTI PRO- BANTIBUS.

53. Tertium attributum quod carni Christi attribu-
 tum legimus est Omniscientia, de qua loquuntur hæc scri-
 pturæ oracula, Esa. 11, 1. Et egredietur virga de radice
 Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet
 I super

*Super eum. Spiritus Domini, Spiritus sapientie & intel-
lectus &c. vers. 3. Et replebit eum Spiritus timoris
Domini, non secundum visionem oculorum iudicabit
neq; secundum auditum aurium arguet, Johan. 3. v. 34.
Quem misit DEUS verba DEI loquitur: Non enim
ad mensuram dat DEUS Spiritum, Colos. 2, 3. In quo
sunt omnes thesauri sapientie & scientie absconditi.
In his dictis agi de scientia infinita cuius verba expen-
denti apparet: Nam 1. qui non secundum auditum aurium
neq; secundum visionem oculorum iudicat, illum oportet
καρδιωσών esse, ut non indigeat auditu vel visu, corda au-
tem & renes scrutari, divinum & increatum esse idioma,
in confesso est. 2. Spiritus sine mensura est Spiritus im-
mensus & infinitus, vel dona Spiritus immensa & infinita.
3. Omnes thesauri scientie & sapientie, non possunt notare
finitam scientiam, quippe illa non est omnis scientia, multo
minus omnis thesaurus scientie. Deniq; juxta humanam
Naturam de Christo predicta omnia vera esse, facile ex al-
latis dictis colligitur, 1. enim apud Esaiam humana Natura
exprimitur. 2. Juxta divinam Naturam Spiritus S. filio
dari nequit siquidem illum a se habet procedentem ab ater-
no. 3. Juxta divinam Naturam est ipsa Omniscientia fi-
lius DEI, neq; commode diceretur in illa scientiam esse
absconditam: Aliud proinde est res, quæ dicitur esse re-
condita, aliud id, in quo est reconditum: 4. Etiam
conferenda hoc loco sunt illa dicta, quæ Christo secundum
humanam Naturam attribuunt potestatem iudicium fa-
ciendi & cultum adorationis, quæ Omniscientiam & cor-
dium scrutationem presupponunt.*

54 Duo hic solent objicere Calviniani 1. Omniscien-
tiam omne scientie incrementum excludere cum tamen de
Christo legatur, quod Sapientia creverit, Luc. 2, 40. 2. Cum
Omni-

Omniscientiâ non posse consistere ignorantem, quæ itidem
de Christo affirmetur, Matth. 4 36. Marci 13, 32.

55. Has argutias ut compescamus duplicem afferimus
Distinctionem. 1. Scientiam Christi aliam dicimus esse
ἐκλήνην & habituales, quæ Naturæ humana inhaeret ut sub-
jecto genuino ἐὼς οὐκ ἐστὶν: aliam vero ὑποστατικὴν & perso-
nalem, quæ humana Naturæ unâ cum personâ λόγος fuit
communis, hanc divinam & infinitam, illam creatam
& suam scientiam appellamus, illa certo respectu etiam
alijs hominibus competit: hæc soli Θεωθρόπῳ tribui po-
test. 2. Scientia à λόγῳ carni communicata vel latet &
quoad plenarium usum retrahitur seu occultatur &
inhibetur, ut factum est in statu Exinanitionis: vel pa-
tet omnibus & manifestò exeritur, ut fit hodiè in statu
majestatis. Christus itaq; profecit scientia 1. habituali,
quippe habitus infusi non statim copiâ & gradibus omnibus
in infantili etate fuerunt absoluti. 2. Personali quate-
nus illa in statu Exinanitionis, quoad actum secundum ma-
gis magisq; se exeruit. Ignoravit autem diem Judicij Chri-
stus 1. Naturali suâ scientiâ, anima πρώτως & οὐκείως in-
herenti. 2. Personali in statu Exinanitionis plenariè non
usurpatâ.

CLASSIS IV.

DE DICTIS VIVIFICATIONEM CARNIS CHRISTI EXPO- NENTIBUS.

56. De vivificâ virtute carnis Christi, ordinis ratio
precipit, differere; præmonemus autem carnem Christi vi-
vificam dici duplici ratione. 1. Meritoriè quatenus vi-
tam æternam patièdo & obediendo meruit. 2. Effecti-
vè quatenus applicando beneficia spiritalia, nobis acqui-
sita,

sita, vitam æternam in nobis producit. Hæc traduntur sequentibus Scripturæ dictis, Job. 5, 28. Mortui audient vocem filij DEI & prodibunt &c. Job. 6, 51. Panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi vita, v. 53. nisi ederitis carnem filij Hominis & biberitis ejus sanguinem non habetis vitam in vobis, v. 54. Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem habet vitam æternam, 1. Cor. 15, 21. Per hominem resurrectio mortuorum v. 45. Factus extremus Adam in Spiritum vivificantem, Hebr. 10, 20. Et via quam dedicavit nobis recentem ac viventem per velamentum, hoc est, per carnem suam.

57. Consuetis insistentes vestigijs probamus primò de virtutè quâdam infinita & increata præ dicta loca esse accipienda. Hoc ex his confirmatur rationibus 1. Dari pro mundi vita non est finitæ virtutis, quippè vitam mundo reparare nemo potest, qui non satisfacere possit infinitæ DEI Justitiæ pro omnibus omnium hominum peccatis, quod si finitæ est virtutis cur DEUS homo factus? 2. Nullum finitâ saltem virtute præditum, facere potest, ut æternum vivamus, quemadmodum de carne & sanguine Christi hoc loco audimus: 3. Resurrectio & vivificatio mortuorum, nemini nisi infinitâ virtute prædito convenit, ut per se notum. Secundo juxta humanam Naturam competere Christo virtutem vivificandi ex verbis allegatis nemini potest esse obscurum: Nam 1. Panis vitæ est vivificus, Job. 6, v. 48, 50, 51. At caro Christi est panis vitæ, v. 51. E. 2. Caro Christi facere potest ut æternum vivamus, v. 54. 3. Caro est cibus ad vitam æternam, v. 55. 4. Per carnem via vivens parata 5. Per vocem & per hominem resurgent & vivificabuntur mortui.

58. Multas solent huic veritatis luci offundere tenebas

nebras Adversarij, quibus depellendis ne nimium temporis conteratur, sententiam & argumenta illorum breviter ita proponimus. Dicunt 1. Carnem non aliter esse vivificam, quàm ideo quia cum vivifico λόγῳ unitur, & quia sit quasi canalis, cujus interventu λόγῳ divina opera in nobis efficit. Beza in Resp. advers. Holder. Vol. 3. pag. 105. Colloq. Mompelg. pag. 334. Danæus in Exam. Chemnit. pag. 14. 103. 307. Edit. Genev. Anno 81. 2. Carnem esse vivificam meritoriè, quatenus vitam eternam promeruit, & quatenus caro per fidem spiritualiter communicatur. Beza in Colloq. Mompelg. pag. 208. & 207. Edit. Tubing. Martinius contra Mentzer. cap. 3. pag. 83. 3. Vivificam carnem dici non posse cum morti obnoxia fuerit & seipsam rescuscitare non potuerit.

59. Resp. 1. Unionem nullam amplius remanere inter carnem & λόγῳ si saltem essent combinata absq; ullâ communicatione, 2. Scripturam carni Christi vim vivificandi propterea tribuere, quia canalis sit caro, per quam λόγῳ virtus transfundatur, ex citatis locis probari non potest. 3. Concedimus, etiam meritoriè carnem Christi esse vivificam, quomodo autem vitam eternam mereri potuisset, absq; communicatâ virtute infinita nondum ostenderunt Adversarij. 4. Mori potuit humana Natura Christi ob intervenientem exinanitionis statum & ob liberam Christi voluntatem, quâ deposuit & reassumpsit vitam. Johan. 10, 17, 18.

CLASSIS V.
CULTUS ET ADORATIONIS
CARNIS CHRISTI FUNDAMENTA CONTINENS.

60. Virtute vivificâ Carnis Christi vindicatâ, ad adorabi-

rabilitatem & cultum fidei, spei, timoris &c. nos convertimus, qui innititur bisce fundamentis. I. Dicitis, Ps. 97, 8. Hebr. 1, 6. Et adorent eum omnes Angeli, Dan. 8, 14. Filio Hominis data est talis potestas, ut omnes gentes, populi, tribus, linguæ serviant ipsi, Phil. 2, 9, 10. Et donavit illi nomen quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & infernorum &c. II. Exemplis: Adoraverunt enim Christum Magi, Matth. 2, 11. Cœcus, Matt. 20, 30. Luc. 18, 38. Chananæa Mulier Matt. 15, 22. Populus Matth. 21, 19. Leprosi Luc. 17, 17. Stephanus Act. 7, 56. Beati in alterâ vitâ Apoc. 5, 12. seqq.

61. Ex his iterum duo eruimus *μεῖοματῶν*. I. Adorationem Christo exhibitam infinitum & increatum donum nimirum adorabilitatem soli DEO convenientem præsupponere: Nam 1. Adoratio quæ fit ab omnibus Regibus & omnibus Angelis non est politica & civilis, sed religiosa, quæ soli DEO conveniens, Deut. 6, 13. 10, 20. 2. Adoratio, quæ exhibetur Christo, conjuncta est cum fiduciâ, quæ collocanda in DEum & id quod divinâ virtute est præditum, Hier. 17, 5. 3. Genuflexio DEO adscribitur, Esa. 45, 23. & iisdem verbis ad Christum applicatur, Rom. 14, 11. 4. Scriptura non novit aliam adorationem religiosam, quàm eam, quæ fluit ex adorabilitate, quæ est Idiomata infinitum & increatum DEI, & non ita est divisibilis, ut alia sit adorabilitas finita alia infinita. II. Adorationis cultū etiam in humanam Naturam esse dirigendam. Quia 1. Filio Hominis data est illa potestas, Dan. 7. 2. data est in tempore post statum Exinanitionis, Phil. 2. 3. DEus ἐξα-εἰσαῖς, hoc est, gratuito donavit Christo tale nomen, ut adoretur, quod certè secundum divinam Naturam intelligi non potest. 4. In Exemplis annotatis semper fit respectus ad
huma-

humanam Naturam, quando Christus adoratur vel ut puer in gremio Matris residens, vel ut filius David, vel ut Agnus occisus, mactatus, accipiens honorem & gloriam in tempore. 5. Invocamus & credimus in Christum, ut in nostrum Redemptorem, Mediatorem, & nostrum caput; Hec omnia autem secundum utramq; & non tantum secundum divinam Naturam Christo conveniunt.

62. *His omnibus reclamant Calviniani, sed dissonantibus tibijs. Nam Danæus in Exam. lib. Chemn. ad cap. 29. pag. m. 415. seqq. præcisè negat adorationem in ipsam Christi carnem, ut objectum esse dirigendam, & hujus effati argumenta desumit ex ijs dictis, quæ solum DEUM non creaturas adorandas esse asserunt. Beza & Sadeel consentiunt cum Danæo, cum adorationis cultum ad humanam Naturam non magis pertingere asserant, quàm Honor Regi exhibitus pertingit ad purpuram vel coronam Regis. Beza in Colloq. Mompelg. pag. 344. Sadeel de Verit. Hum. Nat. cap. 4. Resp. ad object. II. pag. 142. Polanus lib. 6. Synt. Th. cap. 16. pag. 378 Figuratam dicit enunciationem, quia non adoratur propriè caro secundum se, quia creatura est, sed DEUS in carne manifestatus, seu DEUS carne vestitus, Matth. Martinus in Incis. contra Mentzer. pag. 86. seqq. distinguit inter adorationem &c. Quibuscunq; autem circuitionibus Adversarij hic utuntur, semper hunc errorem deprehendimus, quod cultum Religiosæ adorationis, fidei &c. accidentaliter saltem, non vero, ut proprio objecto, carni Christi tribuant.*

63. *Nostræ Responsonis fundamenta sunt ista; 1. piè & devotè petimus expendi dicta supra posita & facile apparebit, carnem Christi non ita per accidens adorari, ut purpura Regis per accidens à subditis honore afficitur; quod enim*

enim

enim caro sit objectum fidei & cultus, nemini non, dicta ci-
tata consideranti, & preconceptas opiniones abjicienti, ap-
paret. 2. Semper habeatur Distinctio illa in conspectu inter
actum carnis Christi naturalem & personalem; Caro
eum Christi non adoratur per suam Naturam, sed *in*so-
lucōs in personā, & in hoc statu personali, caro non
est nuda creatura vel nudus homo, sed talis creatu-
ra, quæ Creatoris & DEI personā subsistit. 3. Dicta
quæ soli DEO cultum adorationis attribuunt, & negant,
Homines vel creaturas cultu fidei & Invocationis esse affi-
ciendas, loquuntur de illis creaturis quæ manent in statu
creaturarum naturali, de illâ autem creaturâ quæ in per-
sonam creatoris est assumpta, scriptura alibi aliter loquitur.

CLASSIS. VI.

DE DICTIS QUÆ AGUNT DE
POTESTATE REMITTENDI
PECCATA ET JUDICANDI
VIVOS ET MORTUOS.

64. Superioribus addi possent omnia dicta quæ de
Christi officio agunt, officium enim cum secundum utramq;
Naturam de Christo dicatur, & infinitam requirit virtu-
tem, facile hinc derivari possent argumenta, quæ proba-
rent, carni Christi infinita & increata dona esse communi-
cata. Verum ut brevitati studeamus saltem expressiora &
clariora scripturæ loca urgebimus; quibus annumeramus
illa, quæ sequuntur, Matth. 9, 6. Ut autem sciatis quod
potestatem habeat filius Hominis in terrâ remittendi
peccata, Matth. 26, 28. Sanguis meus effunditur in
remissionem peccatorum, Heb. 9, 14. Sanguis Chri-
sti purgabit scientiam vestram, 1. Petr. 1, 19. Pretioso
sanguine agni Immaculati redempti estis, 1. Joh. 1, 7.
San-

Sanguis Jesu Christi filii DEI emundat nos ab omni iniquitate, *Johan. 5, 27.* Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia *similis* Hominis est, *Matth. 16, 27.* Filius hominis reddet unicuique secundum opera ipsius, *Act. 1-31.* DEUS statuit diem in quo iudicaturus est *omnem* terrarum per virum & c.

65. *Hæc dicta complectuntur dona infinita & increata. 1. Magisterialiter enim remittere peccata, est divina & infinita virtutis non finita, ut legitur, Esa. 43, 25. Hebr. 10, 41. 2. Purgare conscientias, requirit infinitam virtutem, cum conscientijs nemo dominetur nisi DEUS. 3. Iudicium administrare in extremo die nemo potest, qui non noverit omnia occulta, Rom. 2, 16. 1. Cor. 4, 5. & sententiam decisivam omnipotenter poterit exequi, Matth. 25. Quæ non possunt creatis & habitualibus finitis donis expediri. Præterea juxta humanam Naturam allata dicta esse accipienda, cuiusvis liquet ut ulteriori probatione non indigeamus. Neque tempus & chartam perdere opus est in recitandis cavillis Adversariorum, quippe ex precedentibus facile solvitur, si hoc loco aliquid objiciatur.*

CLASSIS VII.

DE DICTIS OMNIPRÆSENTIAM CARNIS CHRISTI PRO- MITTENTIBUS.

66. *Residua tandem est Omnipræsentia de Carne Christi demonstranda, quæ licet plurimis argumentis possit evinci, brevitatis tamen studio, à nobis hæc vice ijs dictis corroborabitur, quæ ejus non obscuram injiciunt mentionem, Matth. 18, 20. Ubi duo vel tres congregati sunt, ibi sum in medio eorum, c. 28, 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*

K

culi

culi, Eph. 1. 22. DEUS pater constituit ipsum caput
Ecclesiae super omnia, quae est corpus ipsius nempe
complementum eius, qui omnia in omnibus adim-
plet, c. 4, 10. Ascendit supra omnes coelos ut omnia
impleret, Apocal. 1, 13. Et in medio septem candela-
brorum aureorum, similem filio Hominis. His omni-
bus addimus verba sacrae caenae; in quibus per
verbis Christus praesentiam sui corporis & sanguinis in ter-
ris promisit, Matth. 26, 27, 28. Marc. 14, 22, 24. Luc. 22,
19, 20. 1. Cor. 11, 24, 25.

67. Ex his dictis duo sunt nobis eruenda, 1. Chri-
stum promittere praesentiam divinam & infinitam.
2. Non solum juxta divinam naturam sed etiam juxta
humanam, praesentiam praedictam Christo compe-
tere. Quod attinet prius, illud communiunt. 1. Ipsi
Adversarij, qui in praemis scripturae locis
praesentiam ideo ad divinam Naturam restringunt, cum vi-
deant talem promitti praesentiam quae sit DEO propria.
2. Illi, quibus Christus praesens esse pollicitus fuit.
Hi enim in terris per infinita loca sunt dispersi, & caena si-
mul & semel infinitis in locis administratur, qui itaque his
omnibus vult esse praesens, illi non finitam assignare possi-
mus praesentiam. 3. Impletio omnium, quam notare
Omnipraesentiam & universalem rerum omnium guber-
nationem invicte monstravit. D. Hunn. p.m. in Comm.
super cap. 4. Ep. ad Ephes. & D. Feurborn. Tom. 7.
Gies. Disp. 23. th. 68. seqq.

68. Posterius omnibus viribus oppugnant Calvi-
niani, ideo fortissimis hic opus est praesidijs, quae de ducimus
ex visceribus textus, & alijs scripturae locis hoc ordine.
1. Christus promittens suis fidelibus praesentiam, gratiosam
praesentiam.

presentia modum notat, quod nemo negat, gratiosa autem
presentia consistit in eo, quo Christus illuminet, rege-
neret justificet, defendat & liberet suos Christianos,
quae omnia pertinent ad officium Christi: Unde resultat ta-
lis *ἀντιθεσις*. In quacumque praesentia exequitur Chri-
stus suum officium, illa pari modo ut officium se-
cundum unamque Naturam Christo tribuitur. At in
praesentia gratiosa fidelibus promissa, *Matth. 18. &*
28. Christus exequitur suum officium. E. Propositio
est extra dubium, quia Christus non humano more absens
suum administrat regnum, sed regnat divino more ad mo-
dum *Dextra DEI*: Secundum quam Naturam itaque non
est praesens, secundum eam suum regnum & officium non
procurat. Minorem nemo negabit, qui Christum nego-
ciosam praesentiam promississe pie crediderit, cujus praesen-
tia effectus leguntur, *Marc. 16, 22. 2. Apocal. 1. Filius Ho-*
minis in Ecclesia praesens, revelatur Johanni, quod factum
à Spiritu S. qui non decepit Johannem, neque opus est ut ad
ἀντιθεσις cum Martinio Bremensi recurramus, haec
enim figura in N.T. non nisi de DEO ἀσχετῶ usurpatur,
3. Christus promittens praesentiam suam, Matth. 18. &
cap. 28. de se, ut de toto ὁμοῦς loquitur; Etsi autem
interdum de tota persona secundum unam vel alteram Na-
turam aliquid affirmetur, tamen in ijs, quae de praesentia
loquuntur, dictis unam Naturam ab altera divellere non
possumus: alias personalem Unionem Nestorianam fraude
rumperemus; Ubicumque enim unam Naturam praesentem
statueris solam, ut alteram sibi non habeat praesentem,
ibi totum Christum amplius non invenis, de quo argumen-
to cap. 1. prolixius diximus. 4. Paulus impletionem omnium
recitat, inter ea quae statum Exinanitionis sunt consequuta,
& Christum exalta verunt & sublimiorem fecerunt, quae

omnia juxta divinam naturam non posse accipi supra obtinimus. 5. Verba carnis & sanguinis clara sunt, quae corporis & sanguinis praesentiam pollicentur, de quorum literalis sensu cur neque debeamus, neque possimus recedere alibi fusius docetur.

69. Nihil in tota de Christi persona Controversia Calvinianorum frequentiora sentit tela, quam Omnipraesentia illa quae de proxime ex Scriptura praescripta docuimus. Unde non desunt hoc loco spicula, quibus depellendis laboris haud exiguum esset impendendum. Verum nimia prolixitatis evitanda gratia praecipua saltem Adversariorum argumenta succinctis hypothesis includemus, breves refutationis regulas subjicientes.

70. Docent itaque & veteres & recentiores Calviniani, Christum secundum carnem non esse omnipraesentem, sed saltem in uno certo loco, ut alia corpora humana non nisi uno in loco esse possunt: Defendere satagunt hoc dogma. 1. Veritate humanae Naturae, quam suis proprietatibus non posse conservari, dicunt, integram, si omnipraesens esse asseratur. 2. Illis dictis, quae docent Christum de loco in locum ambulasse, & semper in certo loco fuisse, quo natus passus, mortuus sit, unde etiam jam modo in caelo ut in certo loco secundum carnem commoretur, extra quem caro ipsius non adsit. 3. Ascensione in caelum & reditu ad iudicium, quibus non indigeret Christus, si omnipraesens esset. 4. Contradictionis oppositione; Contradictionem enim implicare, autumant, corpus Christi esse omnipraesens & tamen esse finitum circumscriptum &c. 5. Causa Omnipraesentiae, nempe Immensitate, quae cum non adsit in humana Christi Natura, ex absentia causa, absentiam effectus colligunt. Ad haec potissimum capita revocari possunt, quae de hoc argumento prolixis voluminibus prodiderunt

runt Calviniani, quibus addantur illa fundamenta, quæ in genere Communicationi Idiomatum ab illis opponi supra vidimus; vide Orthodox. Consensum Omnipræsentiaæ carnis Christi, maximâ ex parte oppositum. Bezam in Resp. ad Argum. Brent. de Omnipræsentia &c. Polanum in Synt. Theolog. lib. 2. c. 12. Sadelem de Verit. Hum. Nat. cap. 2. 3. & 4. & Martinium in opusculis contra D. Mentzerum, & alios passim.

71. Ἐλεγχῶ Calvinianis opponendus his innititur Regulis. I. Veritatem humane Naturæ ita asserit scriptura, ut ejus præsentiam in pluribus locis simul doceat, idè utrumq; credimus, quascunq; etiam contradictiones ratio hîc fingat. II. Christi humanam Naturam non manere nobis consubstantialem, & in se suisq; proprietatibus integram, propterea quia unionis gratiâ sit in pluribus locis, nullibi scriptura tradit, sed ratio humana hæc extra scripturam fingit. III. Natura humana non debet saltem considerari in statu suo naturali, in quo differt à λογῶ, & reliquis hominibus, excepto peccato, per omnia similis, sed admittendus est alius status & actus, quem personalem dicimus, in quo, λογῶ caro unitur & differt ab omnibus creaturis, prout hi duo actus cap. 2. suis fulcris sunt muniti. IV. Ex duplici statu Carnis Christi duplex oritur præsentiaæ modus: Unus corporalis, visibilis & locabilis, qui ex naturali Carnis constitutione fluit: Alter personalis, invisibilis & illocalis, qui ex personali Carnis subsistentia procedit: Ut itaq; ea scripturæ dicta, quæ loquuntur de Naturis in se & suâ formali ratione consideratis, non sunt opponenda ijs, quæ agunt de Naturis, quatenus ad unum ὑφιστασθῶν concurrunt. Sic omnia illa, quæ leguntur in scripturis de Carne Christi quoad statum seu actum Na-
tura-

turalem & quoad presentiam Naturalem visibilem & localem, non contradictorie opponi possunt ijs, quae alibi de humana Natura leguntur in Biblijs quoad statum & presentiam personalem. V. Licet Caro Christi quoad essentialia semper mansit incorrupta, tamen quoad statum & conditionem fuit variabilis, ita ut jam in statu Exinanitionis, jam in statu Exaltationis, olim in forma servili, modo in forma glorificata & in forma majestatis sedens ad dextram DEI inveniatur; diligenter itaque notetur juxta quem statum de Carne Christi aliquid praedicetur, & $\phi\alpha\lambda\sigma\gamma\omega\sigma\iota\tau\epsilon\iota\varsigma$ contradictio corruet. VI. Non statim sequitur. Quicquid est Omniprensens est etiam infinitum & immensum, nisi addas, quicquid per se, $\epsilon\sigma\tau\omega\delta\omega\varsigma$ & $\pi\epsilon\omega\tau\omega\varsigma$ est Omniprensens; Nam Caro Christi a nobis non dicitur Omniprensens per & propter suam Naturam, sed quia personaliter cum $\lambda\omicron\gamma\omega$ unita & ad dextram DEI est exaltata. VII. Modum Omnipresentiae in simplicitate fidei nos ignorare profiteamur, removeantur itaque omnes speculationes de Expansione, dilatatione, & inclusione Carnis. Ut enim $\lambda\omicron\gamma\omega$ & DEI Omnipresentiam plenè non intelligimus, sic & carnis Omnipresentiam, quae est & $\lambda\omicron\gamma\omega$, quoad modum & formalitatem declarare haud valemus. His observatis aliquo modo instructi erimus ad bellum cum $\chi\rho\iota\sigma\tau\omicron\mu\acute{\alpha}\chi\omicron\iota\varsigma$ de Omnipresentia suscipiendum, Multa sanè fatemur superesse quibus hic non satisfacimus, verum facile veniam nos mereri confidimus, si nostri instituti rationem quis velit attendere.

72, Hic ergò nostram dissertationem finimus: Et si enim supersit copiosissima materia de statu Exinanitionis & Exaltationis, tamen illam alijs horis reservabimus, ne questionum farragine nos obruamus, & examinandi tempus vel otium nobis & alijs praeipiamus. Habebimus in
 pra-

*præmissis & prædictis, quæ assistente divino Numine, nostræ exercere poterunt ingenia: Adfistat modò omnis σοφίας, συνέσεως καὶ ἀληθείας δακτύλιος. Spiritus S. ut in sublimi hoc mysterio rationis blandas argutias sub obsequium Christi captivemus, & ex salutari Θεω-
θρώπης imitatione salvificam fiduciam concipientes, cœlesti Academiâ digni censeamur; Quod devotis suspirijs submissè à Christo Jesu, cujus gloriam & majestatem unicè quarimus, contendimus atq; rogamus, Amen.*

DEO SOLI LAUS ET GLORIA.



Errata, quæ irrepperunt, B. Lector ita
corrigere dignetur:

Cap. 2. th. 21. lin. 7. post vocem λόγος insere numerum 2. th. 30.
l. 9. pro autem lege In. cap. 2. th. 14. l. 34. pro Deus & homo lege
Deus est homo. th. 23. lin. 4. insere personalibus. th. 30. lin. 28.
pro illud lege aliud. lin. 33. insere post Et vocem homo. th. 41. l. 13.
pro prædicationibus lege prædicationes cap. 3. th. 3. lin. 45. pro
ὁμείον lege οὐκείον. th. 18. l. ult. pro divinâ naturâ, lege divinæ na-
turae. Cætera leviora ut quilibet absq; nostrâ admoni-
tione, emendare velit, obnixè
rogamus.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

DEO SOLI LAUS ET
GLORIA



Text block below the decorative line, appearing to be the beginning of a section.

Main body of faint, illegible text in the lower half of the page.

Faint text at the bottom of the page, possibly a signature or date.




Elendy Contentorum.

- Balthasari Meisneri Disputatio Theologica de norma fidei. Wittob. 1623.
 Jos. Tarnovii Disp. Theol. de deo filio. Rostob. 1624.
 Jacobi Martini Disp. de primo Creationis tempore.
 Jos. Cotsmanni Disp. Theol. universalia exhibent brevissimam resolutionem sex problematum ex cap.
 3. Gen. deumotem. Rostob. 1627.
 Valentini Legdei Disp. Theol. de imagine dei in domo ante lapsum. Rostob.
 Bartholomaei Batti Disp. Theol. de mysterio unionis hypostaticae de unitate naturarum in christo. Gry.
 p. Waldia. 1624.
 Jos. Gerardi consideratio duorum circuli, quibus desolata Amphitruo vivere videntur, ut a
 Litteni doctrina secessum faciant. Jena. 1625.
 Pauli Stevogtii Disp. Philosophica de visione dei sicut in se est. Jena. 1625.
 Jos. Tarnovii Disp. de aeterna praedestinatione hominum in fide justificante ad finem usque vite
 perseverantium. Rostob. 1625.
 Jos. Chrovi Harmonia Evangelistarum secundum parochia et itinera domini, Sora. 1627.
 Fidelis admonitio de religione papistica fugienda et Libera constanti retinenda. Wittob. 1625.
 Pauli Roben Demonstratio ostendens religionis Pontificiae lubricitatem, incertitudinem et
 vanitatem. Wittob. 1629.
 Jos. Hülfemann Disp. A. orthodoxa contra necessitatem conjunctionis Evangelicorum cum Romano Papa
 et. Wittob. 1630.
 Wilhelmi Gysen prudentia pontificiorum idolatria. Wittob. 1631.
 Jos. Schaffi discursus Politicus, in quo ostenditur Pontificiorum Politicorum hypoteses fore, quibus in
 iuriam inferantur tam Imperio Romano, quam Sacris Imperatoribus. Wittob. 1629.
 Pauli Roben ~~de potestate~~ ^{de potestate} Romani Episcopi. Wittob. 1628.
 Ep. Oratio panegyrica de causis tot humilitatem. Wittob. 1627.
 Wencelaei Altwasserii Oratio revocatoria. Olava. 1611.

ULB Halle 3
 004 053 834


Sb.


V3 Reto 17



707

Faint, illegible stamp or mark in the center of the cover.





Farbkarte #13

B.I.G.



Theologica 6
 IO UNIO.
 STATICÆ
 RUM IN CHRISTO
 ORE NOSTRO,
 m
 ritu Sancto,
 moderatione
 R 1
 rissimi & Excellentissimi
 EMÆI BATTI,
 Professoris P. Præceptoris
 mei æternum
 ndi,
 um literarum in illustri Academiã
 osis propono & exhibeo
 AR RHAVV,
 ald, Pomer.
 5. Martij
 è die 17. Januarij in
 io majori.
 WALDIÆ,
 NNES ALBINUS,
 O C XXIIII.

48
 2000
 1971

